BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 N
36

HIPPOCRATIS COI MEDICINAE ET MEDICORVM OMNIVM PRINCIPIS APHOriſmorum & ſentẽtiarum Medicarum libri ſeptem,

in eum ordinem, in quem ante hac nuncq; diſpoſuit quiſq;, digeſti. Iuxta quem facile quiuis materiam quancunq; medicam quam inquirere cupiuerit extemplo inueniet: adiecta inſuper enarratione ſententiarum ſingularum perq; familiari atq; compendioſa.

Accedunt ad hæc quædam alia eiuſdem Hippocratis, quorum inſcriptiones uerſa pagina docebit.

Ductu & auſpicijs Ioannis Agricolæ Ammonij Medicinarum profeſſoris.

ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ ΕΙΣ ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΝ.

Ιπποκράτης φάος ἦν μερόπων καὶ σώετο λαῶν
Εθνεα, καὶ νικύαν τὴν σπαίνις ἐν ἀΐδῃ.

Latine.

Lux erat Hippocrates hominum, populoſq; reſeruans.
Rarior ad Stygias uenit & umbra domos.

M. D. XXXVII.

mor

CATALOGVS ELVCVBRATIOnum operis præſentis recens æditi.

LIbri ſeptem Sententiarum conducibilium Hippocratis illius magni, iuxta literarum ordinem recitati, quo argumentum quoduis medicum ſtatim & primo obtuitu poſſit ob oculos reuocari, qualecũq; offeratur tractandum. Quibus appoſita eſt perbreuis ubiq; enarratio doctiſſimi Galeni, aut Oribaſij Sardi, aut ubi ita uiſum erat utriuſq; mixta.

Liber ſextus Epidemiorum Hippocratis ex translatione [redacted] eodem ordine atq; etiam difficiliorum ſcruporum, breuibus expoſitiunculis atq; annotatiunculis enarratus.

Liber ſextus Epidemiorum Hippocratis iuxta ſupra dictum literarum ordinem & filum ueteris translationis congeſtus, non nullius fortaſſis uſus, eò quòd hæc ferè Laconicum authorem ita referat, ut uerbum uerbo reddi & tranſferri latinè curauerit.

Accedit ad hæc quaſi pro Coronide Circknizæ regionis, quæ ſubeſt imperio Illuſtriſſimi Principis & Pontificis Friſingenſis, deſcriptio. Quam ſiquidem ſpectatæ indolis adoleſcens Georgius Leonbergerus Heroico carmine expreſſit, haud grauatim huc accedere ſumus aſſenſi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC domino, Domino Philippo Friſingenſi Epiſcopo, Numburgenſiſq; Eccleſiæ Adminiſtratori, ſtudioſorum Mœcenati unico, & ſeculorum memoria perq; digno, Ioannes Agricola Ammonius S. D.

HIPPOCRATEM Coum merito doctiſſimi quiq; plurimum colunt & uenerantur, Illuſtriſſime Princeps atq; idem Eccleſiæ Antiſtes integerrime, hoc potiſſimum nomine, quòd hic medicorum omnium princeps, & medicæ artis uniuerſæ parens eſt, & ſeminator unicus. Idem quoq;, ut Galeni uerbis lib. 1. de difficult. ſpiran. utar, tanquã œſtrum quoddam ſtimulusq; cenſendus eſt, à quo ſtimulati medici punctiq; à graui aliquando ſomno excitari debent, ut quiſnam affectus ſit locus, quiſnam affectionis ſit modus, & quæ tandem ſit cauſa, diligenter perſcrutentur. Atq;, ut in libro de atra bile refert, Hippocrates bonus probusq; uir omnino extitiſſe uidetur, non honoris uel gloriæ, ſed ueritatis amator. Quòd ſi gloriam uel honorem concupiiſſet, conſequi facil- *Hippocrates œſtrũ medicorũ.*

 limum

limum ei fuiſſet. De quo percelebre apud Oribaſium extat teſtimoniũ, nempe, Hippocratem naturæ & ueritatis amatorem fuiſſe tantum, ut nihil tum in natura, tum in re medica tam eruditũ philoſophum latuerit. Quicquid igitur ſentiant alij, aut qualibuſcunq; uarijs authoribus legendis addicti ſint, nobis ante omnia placeat diuus Hippocrates, ſecundas Galenus occupabit, quibus ductoribus nõ eſt quòd quiſquam uereatur aut diffidat ſe non euaſurum in præclarum medicum. Ad poſteros autem tranſmiſit doctiſſimus ille Hippocrates pleraq; Laconico dicendi genere perſcripta monumẽta medica, profligata ab his procul Aſiana illa exuberantia, adeo ut non raro ambigua & obſcura uideas ipſius theoremata, quod & poëta oſtendit, quum dixit: Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Commentus eſt itaq; ſermones perbreues, & periodos orationum minime uerboſas, Aphoriſmos appellatos, ea potiſſimum ratione, quòd ſunt ſententiæ ſeparatæ. Nam ἀφορισμὸς φθέγγεσθαι diſtinguere & ſecernere & deſignate dicere ſignificat. Vnde Galeno definitore, Aphoriſmus eſt doctrinæ genus ὅπερ διὰ βραχυτάτων ἅπαντα τοῦ πράγματος ἴδια περιορίζει, hoc eſt, quod omnes rei proprietates breuiſſimis uerbis circumſcribit. Euſtachius quoq; ἀφορισμοὺς γνωμικοὺς dicta ſententioſa appellauit, quamobrem Cœlius Rhod. & Thomas

Aphoriſmus quid.

Linacrus

Linacrus uidentur Aphoriſmos uertere ſententias. Cæterum quum illi omnia paſſim tradant abſq; ordine, paucis demptis: adeo, ut raro in duos incidas Aphoriſmos, qui argumentũ idem conſiderandum doceant, & quoniam quid ubi & in quo ex illis ſeptem Aphoriſmorum libris quærendum ſit, non conſtet, niſi totum opus ab aliquo reuoluatur: Laborem hunc libenter ſumus amplexati, ut literarum alphabetici ordinem obſeruaremus, iuxta quem Aphoriſmos omnes retexuimus atq; digeſſimus. Eò quòd pleroſq; ſtudioſos homines uideremus, qui magnopere oblectantur gnomis illis Aphoriſticis & ſententiarum Aphoriſticarum libris. Quis autem tam patientibus eſſet auribus, ut ferre poſſet horum Aphoriſmorum uerboſiſſimos & loquaciſſimos expoſitores Foroliuienſem & Guidonem plauſtra ſolida commentorũ inuehentes lectoribus ſuis? Commodum igitur breuiſſimam expoſitiunculam meditati ſumus, tum ex Galeni Commentarijs, ueluti ex uberrimo pœnu, tum ex Oribaſij iucundo compendio conflatam. Vnde facile quiuis primo poterit aſpectu, poſthabito odioſo multiloquio, authoris mentem deprehendere. Neq; enim iucundiſſima, & uitæ humanæ utiliſſima hæc præcepta communicari non debent quibuſuis ſtudioſis uiris, quo uel illi qui medicæ diſciplinæ non ſunt initiati, emo

lumentum inde aliquod haurire queant. Vix enim quicq̃ morborum, aut medicinalis argumenti habetur uſpiam, cuius hic non fiat legitima aliqua commemoratio. Quam ob cauſam exoptarunt nonnulli ſerio hos ipſos aliquando ſub compendio & quaſi Enchiridio quopiam euulgatos & expoſitos, quum præſertim ſeorſum illi non deſcribantur à Chalcographis amplius, ſed quiſquis hos commentarijs illuſtratos auet habere, Tomos immenſos Galeni operum ære multo redimere cogatur. Vidi præterea ſæpe magnos medicos inter ſe cõtendere & digladiari ſuper locum Aphoriſmi temerè citati, atq; à legitimo ordine nonnunq̃ per aliquot paraſangas aberrare, quos ſi noſtrum laborum tempeſtiuius habere contigiſſet, innumerato cum dicto habuiſſent, quic quid citationis offerretur.

Accedunt his omnes Aphoriſmi libri ſexti Epidemiorum eiuſdem Hippocratis, quos eadem induſtria in ordinem redigere ſtuduimus, quæ legendi ratio quum mihi multum profuerit, anſam mihi exhibuit, ut quicqd hoc eſſet boni, pluribus alijs commune facerem, atq; utinam prodirent aliquando noſtro ſeculo, qui fœlici æmulatiõe Epidemiorum libros Hippocratis imitarentur, & in publicum æderent ſimiles, quales Hippocrati contigere caſus ægrotorum, ſimilia medicamenta, atq; annotatio-

Epidemiorũ ſcriptores noſtrates.

nes

nes ſimiles. Fieret enim onmino hoc pacto, ut qui diu multumq́ in curatiua illa medicina ſunt uerſati, multa iudicarent, multorumq́ admonerent, quæ noſtro æuo miſeris ægris poſſent ſalubriter cõferre. Siquidem & parciſſimè ſcripta ab Antonio Beneuenio quædam reſpondentia huic argumento, non tamen carent inſigni emolumento. Imitati porrò ſumus translationem longè integerrimam & fideliſſimam Fuchſianam, potius quàm Caluianam illam aut aliam antiquariam. Cumq́ Fuchſius aptè & apposité uerterit omnia, atq́ inſuper eruditis commentarijs difficillimos nodos & ſcrupos ſubmouerit, facillimũ fuit breuiſſimã difficilium Aphoriſmorum expoſitionem adiungere: quam adponimus nonnunq́ poſt uerba Aphoriſmi, nõnunq́ intra ſeriem contextus inteximus, & duabus lunulis claudimus. Eam igitur ipſam noueris ferè mutuatam & decerptam ex Fuchſij opere uniuerſam. Equidẽ non raro ſubeunt animum meum ſtudioſorum uota, quibus olim ſerio ſolebant optare & precibus à dijs contendere unum aliquem Epidemiorum interpretem, qui difficillima hæc Hippocratis ſcripta & interpretaretur & familiari quapiam expoſitione enuclearet abſtruſos ſenſus. Cum ergo talem ſimus adſecuti, nihil omittendum cenſeo, quo minus in hac uerſione noctesq́ diesq́ immoremur, & ſaluberrima præcepta

Beneuenius.

Caluus Rhauēnas cepta medica contēplemur. Poſthabita Fabij Calui translatione, qui quoniam fortaſſis extra ſepta profeſſionis ſuæ uerſaretur, quod ad tam difficilem authorem latine reddendum attinebat, præſtare non potuit. De quo etiam uir humaniſſimus Ioannes *Ioannes Sinapius.* Sinapius ad nos priuatis literis è Ferraria ita ſcribit: M. Fabius Caluus Hippocratis peruerſor è uiuis exceſſit Romæ, annis abhinc fortè decem, anno quippe ſalutis M. D. XXVII. Erat alioqui non illiteratus & probus. Verum neq; medicus, neq; monachus, neq; ſacris initiatus, neq; item maritus, ſed ſibi uiuebat & Muſis ſuis. Similiter autem eodem tempore, atq; etiam ante hanc noſtrā ætatem, miſerunt falcem in meſſem alienā complures literati homines, medicorū libros transferēdo, cum medicā artem neq; deguſtaſſent, neq; profiterentur, è quorū numero L. Laurētianus & Georgius Valla Placentinus &c. quorum translationes Hercule quopiam repurgatore, ſicut Augeæ ſtabulum, indigerent.

Neq; tamen in uniuerſum ueterem translationem omittere placuit ſexti libri Epidemiorū. Nam quum hæc ſit longe præſtantior Calui interpretatione, atq; inſuper Græca plerunq; ad uerbum exprimat, non poterit ille non eſſe medicinæ candidatis frugifera, ut quandoq; & ad illam confugiant, aut ſaltem perſpiciant, in quam multis & Cymmerijs tenebris

tenebris liber tam præclarus hactenus fuerit repoſitus atq; omnino neglectus. Aliĳ uero libri Sex Epidemiorum eiuſdem Hippocratis tanti momẽti ſunt nequaq;, & fortaſſis neq; ab ipſo omnes conſcripti. Continet autem Sextus innumeras apodixes medicas, quibus inſtructus medicus nunq; ſalubribus apud ægrotum producẽdis deſtituetur præceptis. Quę ut ſunt, quod ad magnitudinem attinet, parua & exigua, ita ſunt tamen officĳs omnium utiliſſima, quare hoc quantum commendatio legitima exigit, non debet illis eſſe fraudi. Siquidem ut dicitur: τὰ τίμια ὅσῳ μικρότερα, τοσούτῳ καὶ χαριέστερα δοκῶ τοῖς πολλοῖς. hoc eſt, Res precioſæ quanto minore ſunt copore, tanto uidentur gratioſiores.

Atqui quum principem medicum principis inſcriptione & nuncupatione in publicum euulgari plurimũ ſit receptũ, Illuſtriſſime Princeps, non παρὰ τὸ ἔπος mihi facere uiſus ſum, quando ædere uolui hos ingenĳ fœtus tuo nomini dicatos, adductus ad hoc inſtitutum non mediocribus aut cõdemnendis occaſionibus. Vt enim reticeam quanta beneuolentia & humanitate, addo etiam animi liberalitate T. C. nihil tale promeritum Agricolam tractauerit in aula tua. Tua Illuſtriſſ. Gratia non abhorret à diſciplinis liberalibus, tum Mathematicis, tũ Medicis. Siquidem non unum præclarum in illis ædidit ſpe-

b cimen,

cimen, quum per adminiculum ipſarum egregia opera meditatus eſt, iam molendinas plauſtrarias fieri commonſtrans, quarum optatus uſus neceſſitatis tempore eſſe poterit, iam aquarum ductus, fiſtularum ſubterranearū, & canalium in ſublimes locos & montium iuga, deriuationes oſtendens. Quod uero & Medicinam illam experimentalē præſertim amplexaris, inq; aulam tuam libenter admittis, cum multis potentibus Regibus & Principibus habes cōmune, inter quos fuêre ſplendidiſſimi, quos nunq; pœnituit tam ſpecioſæ diſciplinæ. E ſapientibus enim nonnulli primum humani generis parentem Adamum huius artis ſeminaria diuinitus cognita habuiſſe liquido fatētur. Fuit Arabiarum rex Euax cumprimis huius artis peritus, qui & de herbis & gemmarum natura codices ad Neronem Cæſarem ſcriptos reliquit. Saborus item rex Medorū hac arte pulchre inclaruit, qui de atra bile & curatione illius librum ad poſteros tranſmiſit. Eiuſdem ſcientiæ aleam expertus eſt inuictiſſimus Ponti rex Mithridates, qui exitialia bella Romanis faceſſere ſolebat olim per annos XLIIII. Cuius libros medicos Pompeius Magnus Leenum libertum ſuum in linguam Latinam iuſſit transferre. Neq; hanc eſt aſpernatus Gentius Illyriorum rex, de quo longè plurima in memorijs ſuis diſſeruit T. Liuius. Helius etiam

Hadrianus

Hadrianus Cæſar, utriuſq; linguæ, atq; inſuper Muſicæ Medicinæq́; fuit ſcientiſſimus. Extitere ſequentibus annis pleriq; & Principes & Præſules atq; Abbates, qui hac arte ſunt oblectati, inter quos hodie plurimum pollet eruditiſſimus linguarum præcipuarum omnium callentiſſimus Epiſcopus Brunduſinus Hieronymus Aleander Mottenſis, apud quem diui Hippocratis præclara multa delituerunt hactenus opera, nondum nec translata in linguam Latialem, neq; per Chalcographos excuſa, excudēda cum primū inclytus comes eadem Latina fieri curauerit.

In præſentia autem hoc tantum Illuſtriſſ. Princeps T. C. polliceri poſſum, quòd quæ longè plurima & pulcherrima experimenta ſuppetūt, illorum perfacile Phyſicas rationes haberi poſſe ex Aphoriſmis tot & tam iucundis in hoc præſenti libro ob oculos expoſitis. Dignus præterea tantus Præſul, cui maiora & præſtantiora in hac arte elaborata opera conſecrarentur, quem & Deus Opt. Max. tantis honoribus, tā illuſtribus natalibus, tot Epiſcopatibus, regionibus ſubditorum uarijs, tractibusq́; agrorum admirandis honorare nō eſt dedignatus. E quibus unius tantum meminiſſe fortaſſis non fuerit præter inſtitutum, quo tam admirandæ naturæ, tamq́; ſtupendi tractus abſtruſa proprietas ingeniumq́; pluribus alijs mortalibus præcognita fiant.

Circknitium.

Eſt regiuncula amœniſſima Reuerendiſſimo Epiſcopo Phruxinenſi ſubdita, ad Meridiem & ſinum Adriatici maris ſita, in eo loco, quo ſcribit quidam præclarorum ſtudiorum auidiſſimus adoleſcens, qui Heroicis uerſibus, quos ad calcem libri recitabimus, terram hanc totam complexus eſt. Hæc ipſa in longum procurrens ad trium miliarium Germanicorum diſtantiam, in latum uero ad ſeſquimiliare tantum, tota ferè inter montes & præruptos ſcopulos circumcluſa eſt, diciturq; Circknitium, à quibuſdam Kirnitium. Huius tota facies hyberno tempore expletur aquis, id quod ſub Canicula fieri ſtagnante fœcundiſſimo Nilo fluuio tradunt in Aegypto. Ad hunc modum neq; in Circknitio per hybernos menſes quicq̃ aridæ terræ fit reliquum, quin potius totũ fit ex omni parte ſtagnum & lacus aquoſiſſimus, qui ſecum ex ignotis locis inuehit miræ magnitudinis piſcium genera. Quæ inundatio cataclyſmi inſtar terram occupat hyeme perpetua, & poſtremum ſub primos anni mẽſes rurſus paulatim euaneſcit, atq; Euripi in morem refluit, neq; in uniuerſum abſimiliter ſpiritui unde ueniat, quoûe abeat cognoſcendi haud ullas poſt ſe reliquias dimittit. Sed enim indigenæ, qui ſe per horrida frigora in montibus continuerunt, certatim aduolant, relabentibus undoſis fluctibus, ſeptis & caueis ad hũc uſum

comparatis, immenſos piſces exceptos colligũt, qua præda ingenti exporrecta fronte læti magna lucra faciunt. Siccata poſthac tellure, uomerem & aratrũ inducunt, proſcindunt arua fertiliſſima, ſtercoratione nulla accedente, utpote ſolo exiſtente ſuapte natura pinguiſſimo. Tempore uero & fœniſecium pratorum & meſſem frumentorum experiuntur uberrimam. Saluos autem & incolumes illic eſſe licet, & tuto diuerſari integrum eſt bonis illis mortalibus, ad Vergiliarum uſq; occaſum, nam tum deinde redit unda ſolita, redit ſtagnum cum ſuo gurgite, redit lacus profundus, excedunt incolæ ſuis æſtiuis, conduntur in alpibus, & partis utũtur per genialem hyemem. Quàm admirandam naturę ſortem, unà cum undarum & ſiccitatis uiciſſitudine merito uiſum eſt utcunq; & ſoluta & pedeſtri oratione celebrandã eſſe, quod ſi nõ plene ſumus adſecuti, Illuſtriſſima T. C. æqui boniq; cõſulat. Cumprimũ em̃ hanc ipſam atq; alias cõterminas regiones inuiſere & peragrare cœperimus, in hoc ſitu uniuerſim deliniãdo atq; coloribus ſuis depingendo nihil omittemus. Et q̃d potiſſimum exoptamus, T. C. interim me uelit habere magnopere commendatum. Chriſtus in ſalutem multorũ talem ac tãtum Præſulem Eccleſiarum conſeruet. Ingolſtadij, Idibus Auguſti, Anno à natali Chriſtiano M. D. XXXVII.

VVOLPHANGVS ANEMOECIVS
Friſingenſis, candido lectori.

Hippocrates Magnus mira breuitate libellos
  Abſtruſis plenos ſenſibus exhibuit.
Septem Aphoriſmorũ ſegmenta habet alter, & alter
  Octo, quæ morbos continuere uagos.
Illos expoſuit Graio ſermone Galenus,
  Nec non Romano Sardus Oribaſius.
Fuchſius hos iterum fertur feciſſe Latinos,
  Immenſa ingenij non ſine laude ſui.
Dixerit horum omnes merito ſuperaſſe labores
  Hunc quicunq; librum uiderit Agricolæ.

Ἀδέσποτον.

Παιήων. Χείρων. Ἀσκλήπιος. Ἱπποκράτης τε
τοῖς δ᾽ ἔπι, Ἱπποκράτης προφερέστερον ἔλλαχεν εὖχος.

HIPPOCRATIS

ASCLEPIADVM FACILE PRINcipis libri Aphoriſmorum Commentarijs breuibus ita enucleati, ut non modo Medicinæ candidati, uerum etiam alij ſtudioſi omnes uiri, ad abſtruſas illorum per℞ conducibiles ſententias penetrare poſſint. Ex qua lectione pleri℞ ſaluti & ualetudini ſuæ, ne illam quouis modo aut intempeſtiuis ſtudijs atterere & labefactare pergant, maturè conſulere poterunt. Cæterum quòd Hippocratis fidiſſimus interpres Galenus non raro queritur, quædam hic eſſe ſuppoſititia & notha, neuti℞ uero ab authore ipſo perſcripta: ne quis in his diutius & cum diſpendio temporis immoretur, placuit hæc adulterina, quæ ab Hippocrate non eſſent elaborata, illiſce dictiunculis: NOTA, NOTABIS, & NOTANDVM, ſignata, aut quaſi obeliſcis, hoc eſt, paruis uerubus eſſe confoſſa. Occurrent quo℞ nuſ℞ non duo numeri poſt recitationem Aphoriſmi, quorum primus ſemper librum Aphoriſmorum, alter uero Aphoriſmi ordinem ſignificabit.

ABSCESSVS hic fiunt, ſi quid laborauerit reſurgentibus ex morbis. 4. 32. In nonnullis qui ex morbo reualeſcunt dolores accidunt & abſceſſus, quando humores morbum facientes non ſatis fuerint expurgati, ſed quaſdam reliquerint ſuperfluitates, quum laborantem ſiue dolentem partem quanpiam habuerint, illuc morbus decumbet.

Abſceſſus quibus ſperatur futurus ad articulos, liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri. Si uero etiam

etiam ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit. 4. 74.

Abortiunt priuſq; craſſeſcant, quæcunq; præter naturam tenues exiſtentes utero gerunt. 5. 44. Nam iuxta expoſitionem Numeſiani, quæ præter naturam ſunt extenuatæ, priuſq; concipiant reficiendæ ſunt. Sed quum concipere anticipent non ſunt reficiendæ, quum ſanguis ad conceptus alimentum deputatus, ad eius quæ concepit nutritionem recipiatur: quare non abſq; ratione fœtus ſufficienti indigens alimento corrumpitur.

Acceſſiones & conſtitutiones morbi, indicabunt anni tempora & circuitum ſucceſſiua incrementa ſiue quotidie ſiue alternis diebus ſiue per maiora interualla fiant. Ex his etiam quæ mox apparent iudicia ſumuntur, quẽadmodum in morbo laterali, ſi circa initia ſtatim ſputum apparet, morbum breuiat, ſi uero poſtea apparet, producit. Et urinæ & alui excrementa & ſudores: uel bonam morborum iudicationem, uel malam, uel breues, aut longos fore morbos mox apparentia oſtendunt. 1. 12. Galenus. Acceſſiones & conſtitutiones morbi indicabunt. Sic morbus lateralis, Peripneumonia & Phrenitis, morbi acuti ſunt. Angina autem, iuxta angina, cholera & diſtentio neruorum, peracuti. Aqua intercus, atra bilis, ſuppuratio & tabes, diutini. Et morbo quidem laterali atq; phrenitidi magna ex parte per tertium acceſſiones fiunt. Suppurationibus autem quæ uentri eueniunt, aut iecinori & tabi, quotidie, & magis ad noctem. Qui uero ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Secundo, anni tempora indicabunt acceſſiones: proſpicere enim oportet quo tempore morbi ſuum fecerint initium, id cognoſcentes æſtate quartanæ magna ex parte breues ſunt, autumnales longæ. Et quidem tertiana febris cum alioqui cito terminetur, citius tamen æſtate q; hyeme,

& alijs

& alijs pariter morbis æſtas addit celeritatem, hyems uero tarditatem. Sed & acceſſiones per tertium quidem magna ex parte æſtate fiunt, per quartum uero autumno, ſingulis uero diebus aut noctibus hyeme. Tertio huc addendum eſt, quod ſic & in temperaturis in proportione ſe habeat. Quæ enim tempus æſtiuum, eadem & ægri temperatura, ſi fuerit calidior & ſiccior: & ætas, ſi in ſuo uigore conſtiterit: & locus, ſi calidus & ſiccus, una indicabunt. Liquet aūt quòd & induſtria uitæ, & aſſuetudo eodem modo ſe habet, & præ ſens aeris nos ambientis conſtitutio. ET CIRCVI-TVVM ſucceſſiua incremēta. Per hæc enim morbi aug mentum & futuri uigoris tempus præfinitum diſcere potes. Secundæ autem acceſſionis ad primam accrementum in hiſce tribus conſpicitur, in hora qua fit acceſſio, in prolixi-tate acceſſionis, & in uehementia, id eſt, magnitudine eius, Vt quum acceſſio ſiue per tertium, ſiue per quartum, ſiue quotidie fiat, ſimilem anticipauerit proportionem, atq; ita anticipando ad longius extenditur tempus, atq; inſuper ue hementius afflixerit, tunc manifeſtū eſt morbi augmentum. Equidem acceſſio pluri tempore anticipans, & longius, atq; multo etiam uehementius affligens, effatu dignum iu-dicabit augmentū & uelocem eſſe morbi motum, atq; haud ita multo in ſuo uigore futurum. Neq; enim fieri poteſt, ut magna incrementa ſuſcipientibus acceſſionibus non pro xima ſit morbi conſiſtentia. Contraria autem acceſſio, quæ ſcilicet parua faciat incrementa, omnium eorum quæ dixi-mus quantum ad hoc attinet, lōgius diſtare futurum morbi uigorem oſtendit. Deinde ex mox apparentibus totam iu-bet morbi conſtitutionem coniectari. Et ſunt mox apparen tia omnia ſigna omnesq; caſus: quorum nonnulli ſigni-ficant paſſionem, alij aſſident, alij decernunt, alij iudicant, alij coctionem, alij cruditatem, alij ſalutem, alij perniciem *Mox apparentia.*

 oſtendunt

oſtendunt. Sic in pleuritide ſi tanta fuerit meatuum anguſtatio, ut nihil extra effundatur, neceſſe eſt illam eſſe & coctu difficilem & longo tempore perdurare. Signa itaq; coctionis conſideranda ſunt. Nam crudiſſimus morbus eſt, in quo nihil omnino expuitur. Secundum ordinem obtinet ille, in quo ſanies tenuis eſt. Tertium in quo craſſior. Et quartum in quo perfectam habet coctionem. Quod ſi hæc circa tertium uel quartum diem apparuerit, non contingit morbum tranſcendere ſeptimum diem: in alijs uero ſingulis neceſſe eſt, ut pro coctionis modo atq; menſura tempus conſequatur. Signa autem coctionis ſemper ſunt bona, ut quæ morbi ſolutionem breui futuram oſtendunt, ſicuti & genus ſignorum exitialium mortem ægri citam prænunciant. At uero ſigna cruditatis diutinum quidē ex neceſſitate morbum ſignificant: ſed quantum in ipſis eſt, neq; moriturum, neq; euaſurum è morbo hominem oſtendunt. Sunt & alia

Criſima ſigna. ſigna quæ Criſima (id eſt, iudicatoria) nominant, ut ſudores, ſanguinis fluxus, rigores, alui profluuium, uomitus, dolor capitis repente inuadens, difficultas ſpirandi, cordis morſus, ilia extenta, uigiliæ, delirium, acceſſio anticipans, lachrymæ inuoluntariæ, hallucinationes, malæ & naſus repente rubeſcentes, parotides, abſceſſus in articulos. Hæc omnia

Caſus. & alia multa huiuſmodi propriè Caſus nominantur, quatenus uero ſubitam mutationem oſtendunt, ſigna criſima, id eſt, iudicatoria appellantur, & duplicem præſtabunt præcognitionem. Siquidem morbo iam cocto ſuperuenerint, futuram ſtatim ſanitatem denunciant. Si uero crudo adhuc morbo iudicationē non bonam; quæ ſcilicet ad perniciem agat, aut in longum tempus morbum producat.

Acceſſionem habentibus per circuitus nihil dare oportet, neq; cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes.

Criſes. 1. 19. Iudicationes appellat morbi uigores, uel illas quæ pro

prię

priè iudicationes uocantur. Morbo enim magna ex parte in ſuo uigore conſiſtente fiunt iudicationes.

Acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fœtum continere, ſed diſrumpuntur eis: quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta. 5. 45. Acetabula ſunt ora uaſorum uenientium ad uterũ, ex quibus ſecundæ pendent. Nam quum acetabula plena fuerint pituita, menſtrua fiunt pauciora. Occaſiones autem manifeſtæ abortus ſunt, febris uehemens, alui fluxus, profluuium ſanguinis, Eryſipelas in utero, ſaltus grauidæ mulieris uehementior, clamor, ira, timor, & uictus parcior. *Acetabula* *Abortus Cauſæ.*

Acutorum morborum non omninó ſunt certæ prænunciationes, aut ſalutis, aut mortis. 2. 19. Sciendum, inquit Oribaſius, de pleuritide & ſynancha ipſum ſenſiſſe. Pleuritica enim iuxta uitalia fit loca, quæ quum ſubito trahitur ad pulmonem, fit peripneumonia, & transfertur ab acuta ad peracutam. Sic angina fit in ipſo principio nutritorij loci, uel uitalis: quæ dum emendari uidetur, tunc recidit ad pulmones, & mortem infert. Et in mutatione de loco in locum dubium eſt. Ideo Hippocrates noluit prædicere medicum, neque ſalutem, neque mortem.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. 2. 23. Acuti enim morbi ad ſuum uigorem celerrimè properant. Non igitur abſque ratione in pauco tempore magnas faciunt permutationes, quod idem eſt quod iudicari. Huiuſmodi eñ permutationes, quando uniuerſim in morbo fiunt Hippocrates criſes uocat, id eſt, iudicationes in quibus nonnunquam ſubito integra ſanitas reſtituitur, nonnunquam uero moritur æger, Aut magna fit, uel ad ſalutem, uel ad mortem permutatio, non tamen ſubito ſanantur aut moriuntur. Neceſſarium ſiquidem eſt ob morborum magnitudinem, ac caſuum *Criſis.*

uehementiam,uel cito uires proſterni adeo,ut homo moriatur: uel ſi ad noxiorum humorum excretionem impetum faciant,& quos propoſuerint,exuperent,bonam ſequi iudicationem;ſi uero exuperenť,malam. Propterea eſt impoſſibile, ut in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur Hipp.poſuit duarum ſeptimanarum. Quæ uero iudicationes ſunt imperfectæ,his finem imponit aliquis alius ex eorum numero qui deinceps ſequuntur uſq; ad quadrageſimum. Quos non ſolet ſimpliciter acutos nominare; ſed appellatione compoſita per hæc uerba ſimul acuti qui in quadraginta diebus iudicantur, de quibus in prognoſtico ſcribit in hunc modum. Oportet autem exiſtimare ſpirandi facilitatem magnam habere uim ad ſalutem in omnibus acutis morbis, quicunq; febres habent adiunctas,& in quadraginta diebus iudicantur.

Acuti ualde morbi medicandi ſunt, ſi materia turget eadem die. Tardare enim in talibus malum eſt.4.10. Oribaſius in ualde acutis, inquit, qui uſq; in quartum diem durant, ut eſt angina, aut apoplexia, primo die purgatio debet fieri. Si enim morari uolueris, morbus non expectat. Galenus ratiociniũ adfert: Ne robur corporis diſſoluatur, uel febris caliditas augeatur,aut ad aliquod membrum principale decumbant,hi qui per corpus uagantur humores. Hippocrates uero uerbum, turget, tranſtulit ab animalibus quæ ad coitum properant,cum naturali concupiſcentia moueantur ad ſeminis excretionem. Quando igitur in toto corpore ſimilis huic fuerit naturæ impetus ad excretionẽ ſuperfluitatum,uel ſi non in toto corpore, ſaltẽ in partibus principalioribus, tale quid conſueuit Hippocrates per uerbũ turgere ſignificare.

Turgere.

Adoleſcentes ſenioribus plurimum ægrotant magis. Quære, Iuuenes ſenioribus.

Aduleſcen

Aduleſcentum morbos in litera I habebis, qui locus incipit: Iuuenibus ſanguinis ſpuitiones &c.

Aetas, tempus, & regio conſideranda ſunt. 1.2. & rurſus, 1.17. Et iterum. 2.34.

Aetatum morbi. 3.24. 25. 26. 27. Et infra in nominibus Infantum, puerorum, iuuenum & ſenum.

Aetati iuuenum calor innatus eſt plurimus, quare ſomnos habent longiſſimos, iiſdemq; alimenta copioſiora ſunt exhibenda. 1. 15.

Aeſtate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, ſecundum locum uer habet. 1.18. Quoniam plus ineſt innati caloris in hyeme quem nutriri oportet. Aeſtate uero is cui cibos coquendi ac cõficiendi officium natura tribuit, calor innatus exiguus eſt.

Aeſtas quando fit ueri ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet. 3. 6. Aeſtas enim arida ſatis abſumit atq; reſoluit humiditatem. Similis autẽ ueri ob caliditatem quidem attrahit ad cutim, ob humiditatem uero non poteſt per modum uaporis reſoluere. Tota igitur ſimul humiditas in morborum iudicijs expulſa ſudores facit. *Sudores in febrib9*

Aeſtas quando fuerit ſicca & aquilonia: autumnus uero pluuioſus & auſtralis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines atq; grauedines, quibuſdam autem & tabes. 3. 13. Neceſſe eñ erit ijs qui naturã habent humidiorẽ, ſupra modũ repleto capite hos morbos hyeme aduenire: quibuſdam aũt eorum & tabem, qui ſcilicet ad hunc morbum apti natura ſunt, utputa qui anguſto ſunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluctio defertur, ij enim tabidi fient.

Aeſtate prima & uere pueri & qui hos ætate ſequuntur optimè degunt, & ſani ſunt maximè. Aeſtate uero & autumno uſq; ad aliquid ſenes. Reliquum autumni, & hyeme, qui mediam ætatem habent, 3. 18.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Aeſtatis morbi ſunt nonnulli ex ijs qui in uere accidunt: & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & uomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes (aphtas uocant) genitalium putredines, & ſudamina. 3. 21. Morbi quidam ex uernis excitantur in æſtate: quæ enim fini ueris continuantur, ſimilem habent temperaturam cum æſtate. Deinde quæcũq; ex flaua bile mala corporibus adſunt. Genitalium uero putredines non ſimpliciter, ſed quando æſtas aut humida magis fuerit, aut nullus flauerit uentus, aut Auſter in ea abundauerit, proinde illud NOTABIS. Sudamina autem è

Sudamina genere puſtularum ſunt in ſumma hærentium corporis parte, quæ inſtar ulcerum cutem exaſperant. Proueniũt autem propter multos ſudores, qui uel bilioſiores uel omnino mordaciores exiſtunt. Mordent enim hi cutem & pruriginoſam efficiunt, & per modum ulcerum exaſperant.

Aeſtate ſuperiores uentres medicari conuenit, hyeme uero inferiores. 4. 4. In æſtate em̃ flaua bilis ſuperabundat, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad ſuperiora mouetur. Quælibet autem ſuperfluitas eo quo uergit ducenda per loca cõuenientia. 1. Aphoriſmorum 21.

In alui profluuijs mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat. 2. 14. Mutationes excremẽtorum quæ multis formis uariãtur, exquiſitius corpus expurgant, niſi adſint ſigna colliquationis aut putredinis.

Aluus adhuc humecta exiſtens iuuenibus, ijs ſeneſcẽtibus exiccatur. Quibus uero iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, ijs ſeneſcentibus humectatur. 2. 20. Senum etenim corpus cum frigidum efficiatur, tantum augeri contingit in ore uentriculi frigidam humiditatem ut appetitus deficiat, atq; ita excrementa exiccentur inopia eorum quæ aſſumuntur,

ut

ut ad alimenti diſtributionem. Sic & qui ob multitudinem uel naturam biliofi humoris aluum humectam habent, ad ſiccam tranſmutant,quum hic humor in ſenectute deficiat. Qui uero non appetunt ob caliditatem in progreſſu ætatis plus etiam appetent,q̃ poſſit iecur euincere, & humectabitur uenter. Quibus uero ob innatam ſiccitatem uirtus retentiua fortior fuerat, ijs ſeneſcentibus fiet imbecillior ob ſiccitatis exceſſum, & ea ratione excrementa humectabuntur, quoniam ciborum exitus feſtinat. NOTA uero ſi ſtatim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam, mox ad immodicã ueniens in ſenectute intemperiem, ſecundum frigiditatẽ uirtutem retentiuam æquè habebit imbecillem. Quoniam omnis immodica intemperies operationẽ exoluit. Sic quibus propter bilis defectum tardante excretione ob exitus moram, plurimum humiditatis abſumitur,fieri poteſt,ut eadem diſpoſitio permaneat. Contingit etiam,ut propter immodicam iecinoris frigiditatẽ,ad ſatis magnam perueniente alimenti diſtributione imbecillitatem,fiant excrementa humidiora.

Alui longo profluuio ſpontaneus uomitus ſuperueniens medebitur.6.15. Exemplum hoc eſt eorum quæ rectè fiunt à natura,quæ medicum imitari oportet; utilitas uero ratione retractionis.

Alui & ueſicæ excrementa ſunt contemplanda,& ex carnibus,& ſicubi alibi à natura corpus exierit.Si parum,paucus eſt morbus:ſi multum,multus: ſi ualde multum,lætale. 7.75. NOTA hunc ſermonem eſſe ex ijs qui fraudulenter Aphoriſmis ſunt adiecti, neq; aliquid plus nobis oſtendit, his quæ ſæpius Hippocrates manifeſtauit. Sũma tamẽ uera eſt, nam ſi paruus ſit à natura exitus in quauis parte, minorem morbũ: ſi uero maior,maiorem: ſi admodũ multus ſit à natura receſſus,mortalem debemus morbum iudicare.

Aluos

Aluos humidas habentes iuuenes melius euadent ijs qui ſiccas habent. Ad ſenectutem uero deterius commutant. Nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccantur. 2.53. Quicquid hic dicere conuenit, prius eſt dictum in Aphoriſmo cuius principium eſt, Aluus adhuc humecta exiſtens iuuenibus.

Ambidextra mulier non fit. 7.43. Homines qui ambab9 manibus pro dextris utuntur, ſæpius uiſi ſunt. Mulier uero nulla adhunc uſq; diem ob naturæ imbecillitatem. Si enim ambabus manibus ob neruorum robur, ac muſculorum quidam uiri utuntur, rationabiliter nulla mulier utetur, quæ ſatis habeat, ſi ſola dextra modice utatur. Amazonides quoq; mammam exurebant dextram, ut plurimo alimento ad manum uicinam proueniente, ei maior adeſſet uigor, ut quæ & ipſa eſſet natura debilis.

Amazones.

Ad animi defectionem aliquando expedit ducere deiectiones, ſi æger poſſit tollerare. 1.23. Animi defectio quæ fit ratione euacuationis, menſura euacuationis conſtituitur à Galeno in maximis inflammationibus, ſecundo in adurentibus febribus, tertio in uehementiſſimis doloribus. Sed oportet uiribus integris atq; ualentibus tantam moliri euacuationem. Nam in ardentiſſimis febribus ſi uſq; ad defectionem animi ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & ſudores emanant, unde ſanitati reſtituūtur, uel uehementiam ægritudinis abſcindunt. In maximis uero doloribus nullum maius inuenit Gal. remedium, q̃ uſq; ad animi defectionem euacuare, contemplando an mittere ſanguinem an purgare oporteat.

Ad animi defectionē euacuatio.

Angina liberatis, ſi ad pulmonē uertitur malū, in ſeptem diebus pereunt: ſi uero has effugerint ſuppurantur. 5.10.

Anginoſo ſi tumor fiat in collo, bonum. 6.37. Quoniam

ſemper

ſemper ex intimioribus & principalioribus partibus, paſſiones confert ad cutem transferri.

Anginoſo tumor & rubor in pectore ſuperueniens bonum. Extra enim uertitur morbus.7.49. NOTA hunc aphoriſmum fuiſſe interiectum, uolente aliquo adiungere: Extra enim uertitur morbus.

Aphthas, quære in Infantium morbis.

Apoplexiam fortem ſoluere eſt impoſſibile, debilẽ uero non facile.2.42. In Apoplexijs totum corpus ſenſu priuatur ac motu, ſolus reſtat anhelitus, qui ſi & ipſe prohibeatur, maxima eſt & acutiſſima hæc apoplexia. Qui uero reſpirant quidẽ, ſed magna cum ui, fortis adeſt ijs apoplexia. Omnes autem apoplexiæ fiunt ui animali non potente defluere ad partes infra caput exiſtentes, aut propter aliquam diſpoſitionem ſimilem inflammationi quæ in ipſo cerebro fit conſtituta, aut uentriculis ipſis oppletis humore pituitoſo, uerum cauſæ magnitudinem etiam paſſionis magnitudo ſequitur. Magna autem ex parte curationem non admittit propter reſpirationis læſionem.

Apoplexiæ fiunt maximè à quadrageſimo anno uſq; ad ſexageſimum.6.57. NOTA Apoplexiam eam tantum quæ fit ex atra bile ijs aduenire qui dictam agunt ætatem. Plures enim ſeniores laborant apoplexia.

Aquam intercutem, quære in hydrope.

Aquæ frigidæ multa perfuſio calorem reuocat, in diſtentione ſine ulceratione, iuuene bene carnoſo æſtate media, calor autem hanc ſoluit.5.21. Non ſua ui frigida aqua, inquit Galenus, diſtentionem ſanat, ſed ex accidenti, quoniam iuuenibus bene carnoſis reuocationem caloris facit. In alia ætate nihil proderit. Nam aquæ frigidæ occurſus aut uincit natiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem cum debilis fuerit. Colligit autem cum fortis, ipſum difflari perhibens.

Oribaſius hæc addit: Nam omnis, dicens, curatio duobus præcipuè fit modis, aut à contrario aut à ſimili. Sic frigida ſuperfuſa curat frigus, quia frigus calorē conſtringit, calor autem ægritudinem curat.

Aqua quæ cito calet, & cito refrigeratur leuiſſima eſt. 5. 26. leuiſſima, id eſt, uentrem non grauans, & quæ cito permeat. Grauis contra quæ non cito permeat. Gal. addit requiri & alia, quòd neq; ſit turbida neq; cœnoſa, neq; in guſtu neq; in odoratu aliquam abſurdam qualitatem præ ſe ferat. Sicuti autem cibi uirtus eſt, eſſe bene alterabilē, ita & aquæ, ſiquidem facile tranſmutari uolumus quicquid concoqui debeat ab inſtrumentis, quibus eſt coctionis munus à natura demandatum.

Aquilonia tempeſtas ſi fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, coſtarum dolores & pectoris. Quando hæc tempeſtas præualuerit talia in morbis expectare oportet. 3. 5. Tuſſes, propter inſtrumentorum reſpirationi obſeruientium intemperiem. Fauces, ſubintellige patiunt: nam ſolet hoc modo loqui aliquando. Alui duræ, quia temporis conſtitutio totum corpus exiccat, magis ipſo ad ſeipſum trahente eas quæ fiunt ex cibis humiditates. Vrinæ difficultates, ueſica enim eſt exanguis, & propterea ex cauſis frigidis pluſq; aliæ partes ipſa eſt offenſioni parata. Homines uero horridos fieri in Aquilonijs conſtitutionibus clarum eſt, conſentaneæ uidelicet aeris, ambientis temperaturæ. Thoracis dolores, propter reſpirationē aſſumentis & quæ cor & pulmonem offendit.

Aromatum ſuffitus muliebria ducit, ſæpius uero & ad alia utilis eſſet niſi capitis faceret grauitatem. 5. 28. Muliebria dicit ea quæ ex utero mulieribus euacuātur in menſtruis purgationibus, & à partu. Nonnunq; autem ſanguinis craſſitudo cauſa eſt retentionis, uel obſtructio uaſorum quæ pertingunt

pertingunt ad uterum, uel horum obſeratio, uel totius ſubſtantiæ denſatio. Quodcunq; uero in cauſa fuerit ex aromatibus ſuffitus ſanat diſpoſitionem, qui ſua ui aperit uaſorũ extrema obſerata. Extenuat quoq; humorũ craſſitudinem, obſtructiones uero incidendo exobſtruit. Ad alia opus eſſet, nam totum corpus poterat continuo ſuffiri per uterum in omnibus frigidis atq; humidis diſpoſitionibus, niſi timeremus illam quæ fit ex ſuffitu capitis grauitatem. Quæcunq; enim ſatis calefaciunt, omnia fere capitis grauitatis ſunt cauſa, uelut eſt omnium aromatum natura, utpote ſui natura calido ſuperiora petente.

Athletis ineſt calor plurimus, quibus iccirco alimenta copioſiora ſunt exhibenda. 1. 15.

Athletarum habitus qui ad ſummũ bonitatis attingunt periculoſi ſi in extremo conſtiterint, neq; enim poſſunt in eodem pmanere neq; quieſcere; cũ uero non quieſcãt, neq; poſſunt proficere in melius. Reliquum igitur eſt ut decidant in deterius. His de cauſis bonum habitum ſtatim ſoluere expedit, ut corpus rurſum nutriri incipiat. Neq; compreſſiones ad extremum ducendæ, periculoſum enim. Sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere cõuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremũ deducunt periculoſæ. Et rurſus refectiones quũ extremæ fuerint periculoſæ. 1.3. Athletarum bonus habitus non mediocrem hanc culpam habet, quòd ſtudent tumoris molem corpori adijcere, & humorum multitudinem. Quam diſpoſitionem neceſſe eſt eſſe periculoſam. Quum enim uaſa cibis & potibus fuerint ſupra modum repleta periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur aut extinguatur. Sicuti & nonnulli athletæ qui ad immodicam uenerunt repletionem ex eadem cauſa ſubita morte interierunt. Hunc ſoluere oportet, non morantes, ſed anticipantes ſolutione periculum. Non enim *Athletæ immodica repleti.*

poſſunt in eodem permanere neq; quieſcere. Nam cum ſem per natura coctionem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem atq; aſſimilationem operetur, quando nihil adijci ſolidis corporis partibus poteſt, neq; uenæ amplius habent conceptaculum in quod alimentum diſtributum recipiatur, tunc periculum im minet aut diſruptionis aut mortis repentinæ. Poſtea præci-

Euacuatio immodica. pit tamen immodicas euacuationes fugiēdas eſſe, quoniam ſint admodum periculoſæ. Vires enim ægroti oportet atten dere, & donec tolerat & nondum laborat, tentandum eſt hu morem exuperantem educere: cum uero diſſoluuntur, etiam ſi reſtent ſuperfluitates, cauere oportet earū euacuationem. Sic quoq; repletionem ultimam oportet cauere, & non uſq; adeo refici corpora, ut ad extremam ueniant repletionem.

Attonitos quære in Apoplexia.

Autumno morbi plurimi eorum qui in æſtate graſſant, accidunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ intercutem, & tabes, & ſcillicidia urinæ, & difficultates inteſtinorum, et coxendicum dolores, et anginæ, & anhelationes, quas Græci Aſthmata uocāt, ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles, 3.22. Priores morbi cauſam fermê habent atram bilem. Sed tabida diſpoſitio maximè in autumno depræhen ditur propter frigiditatem & ſiccitatem & temporis inæqua litatem, necnon & propter humorum prauitatem. Vrinæ uero ſtillicidia ob eaſdem fiunt cauſas, nam ueſica in repentinis â calido ad frigidum permutationibus refrigeratur, & quæ ex malis humoribus fiunt acritudines ipſam moleſtant, ij enim qui hactenus difflabantur, & per ſudores euacuaban tur, humores ad ueſicam conuertuntur.

Autumno pluuioſo et auſtrali exiſtente, præcedente eum æſtate ſicca & aquilonia, qui morbi ſint expectandi. Quære in æſtate ſicca & aquilonia.

Autumnus

Autumnus quando ſiccus & aquilonius fuerit,ijs qui naturam habent humidiorem,& mulieribus confert. Reliquis aūt erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ & grauedines. Nonnullis uero & atræ biles. 3.14. Galenus non integrum ſermonem hunc eſſe dicit,ſed ſecundam tantum partem, priori ſupponente etiam ariditatem æſtatis. Vtriuſq; uero partis huius ultimi ſermonis cauſam reddit Hippoc.in libro de Aquis locis & aëre. Pituitoſis dicens, hæc omnia auxilio ſunt. Exiccantur enim & ad hyemem minime laxi perueniunt, ſed exiccati. Bilioſis uero hoc eſt inimiciſſimum,quia ualde exiccantur,& lippitudines ijs ſiccæ eueniunt,& febres acutæ & diuturnæ,& atræ biles. Bilis enim pars humidiſſima & aquoſiſſima exiccatur atq; abſumit, craſſiſſima uero & acutiſſima remanet, & ſanguinis pariter eadem ratione, ex quibus hi morbi ipſis contingunt.

Autumno morbi acutiſſimi atq; exitiales maxima ex parte. Ver uero ſaluberrimum & minime exitiale. 3.9. Hoc ēm mali habet autumnus quod eadem die aliquando calorem aliquando frigus continet.Deinde æſtatem ſequitur,in qua multis quidem humores aſſati ſunt, quibuſdam uero & uires ſunt debilitatæ. Item humores per æſtatem mouebantur ad cutem atq; diſſlabantur,in autumno uero ab aeris ambientis frigiditate truduntur atq; ad interiora impelluntur. Et qui malo uictu utuntur ex ſuperabundanti,fructus accedunt,quibus abundanter repleti, malorum humorum multitudinem generant.

Autumnales morbos expectare oportet,quando in temporibus eadem die modo calor modo frigus fit. 3.4. Quia appellationes temporum nō ſunt cauſæ morborum,ſed temperaturæ. Oribaſius inquit, Si iſta intemperies in uno eorūdemq; die fiat, aut dies ſecundum tempus horarum naturam ſuam non cuſtodit, imitatur intemperiem autumni.

Vbi propter frigus & ſiccitatem morbi eueniunt mortiferi.

Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes. Quando huiuſcemodi tempeſtas præualuerit talia in morbis patiuntur. 4. 5. Omnia enim calida & humida ſunt apta replere caput. Propterea & ſenſuum inſtrumenta plurima implent humiditate & capitis grauitatem efficiunt. Cerebro enim quod neruorum principium exiſtit, humectato, neceſſe eſt, & circa uoluntarios motus pigritiam euenire, & ueluti in ſeipſo diſſolutum hominem apparere.

BAlbi ab alui profluuio maximè capiuntur. 6. 22. Qui natura balbutiunt, ſolius humiditatis immodicæ eſt caſus id locutionis detrimentum, cum linguæ muſculi nequeant firmiter ſtabiliri, quod eis poteſt accidere, uel propter ſuam uel propter neruorum imbecillitatem, quos à cerebro ſuſcipit. Quare & ebrij aliqui balbutiunt, quia multa humiditate perfunditur cerebrum, & ab ipſius multitudine præ grauatur. Contingit igitur natura balbis, ut aut cerebrum habeant humidum, uel linguam, uel utrunq;. Et cerebro quidem talem ſortito temperaturam defluere ab eo multas par eſt humidas ſuperfluitates, atq; inde fluentes in uentrem ſuſcipi. Vnde longis uentris profluuijs homo capitur. Lingua uero admodum humida ex natura exiſtente, & uentriculum talem eſſe uerìſimile eſt, ut qui alteram ſui tunicam communem habet ad linguam, imbecillis autem ex humiditate uentriculi propria paſſio eſt diuturnum profluuium.

Bene ſe habere ad illa quæ offeruntur, & mente conſtare in quouis morbo, bonum; contra uero ſe habere, malum. 2.

Mentis cõſtantia. 32. Conſtare mente bonum eſſe ſignum ex iſto cognoſcitur, quod ad cerebrum attinet, & membranas ſimiliter & ſpinalem medullam, necnon & ſeptũ tranſuerſum & omnino

partes

partes neruoſas, quæ præſertim ſunt iuxta cerebrũ, ſana eſſe omnia ſignificantur ex mentis conſtantia. Sicut & quæ ad uentrem attinent & iecur, & cor, ubi adeſt promptitudo ad illa quæ offeruntur. Cum uero hæc omnia robuſta ſunt, non parua ſpes de ægroti ſalute haberi poteſt.

Bilis atra uel ſupra uel infra exiens, morbis incipiẽtibus, letalis.4.22. Aliquo enim morbo incipiente, nihil excernit naturæ ratione, ſed ſunt omnia hæc caſus præter naturã earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum. Quo enim in tempore à cauſis quidem morbum facientibus natura grauatur, adeſt aũt cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari eſt impoſſibile. Siquidem oportet coctionem præire, ſubſequi diſcretionem, & poſtea euacuationem, ut bona fiat criſis, id eſt, iudicatio.

Bilis atra ſiue uti ſanguinis deſubter exiens ſignificat ægrum poſtridie moriturum: ſi hoc accidat ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis.4.23. Eſt enim in talibus natura imbecillis adeo, ut non poſſint concoquere, neq; diſcernere, neq; excernere, quæ ita parua exiſtunt. Propter morbi igitur magnitudinem, cum contineri nequeant, effunduntur, & iccirco ſunt difficilia, mortemq; inſtare annunciant propter uirium imbecillitatem.

Bile atra uexatis, & renum paſſionibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum.6.11. Hæ etenim ſanguinem craſſum humore plenum melancholico euacuant, qui talem habet in ſanguine conſiſtentiam, qualis eſt in uinis fex. Quare nihil mirum ſi atræ bili, & renum paſſionibus cõferunt hæmorrhoides, ut quæ humorem feci ſimilem euacuare ſolent. *Hæmorrhoides.*

Bilis atra ſignificatur, ſi timor, atq; mœſticia longo tempore perſeuerent.6.23. Oribaſius in hæc uerba ſcribit more ſuo Laconico in hunc modum. Timor, dicens, ſit quoties

Timor. tinctæ fuerint cerebri particulæ, & uelut in tenebris ſe non cognoſcente natura, timores accidunt. Maximè aũt ex melancholica materia timores eueniunt.

In atribilarijs morbis periculoſi decubitus, ſtuporem corporis, uel conuulſionem, uel furorem, uel cæcitatem ſignificant. 7. 56. Stupor enim corporis, id eſt, apoplexia fieri etiam poteſt ex melancholico humore, qui tamen non ſemper furorem facit, ſed cum ſupra modum exuſtus aut putrefactus malignam induerit acritudinem.

CAlidum ubi quis ſæpius eo utatur hæc mala adfert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia ſanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ mors. 5. 16. Effœminationem debilitatem appellat, per metaphoram, ſiquidem fœmina debilior eſt maſculo. Neruorum incontinentia, ij enim fiunt imbecilles, eorum ſubſtantia à calore diſſoluta. Mentis torpor, id eſt, mentis imbecillitas, ita ſcilicet ſubſtantia cerebri, ſicuti etiam neruoꝝ diſſoluta. Sanguinis profluuia, in ijs corporibus quæ ad ſanguinis profuſionem apta natura ſunt. Sequuntur autem ad ſangninis profuſiones defectus animi, & ad hos mors.

Calidum ſuppuratorium non in omni ulcere, magnum ad ſecuritatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, conuulſiones & diſtentiones mitigat, & ex ijs quæ ad caput attinent, eius ſoluit grauitatem, plurimum aũt confert oſſium fracturis, ſed nudis præcipuè, eorumq́ꝫ maximè qui in capite ulcera habent, & quæcunqꝫ à frigore moriuntur, uel ulcerañ, & repentibus comeſis, ſedi, pudendis, utero, ueſicæ, ijs calidum amicum & iudicans. frigidum inimicum & perimens. 5. 22. Maximum ſignum ulceri ad ſecuritatem eſt pus, bonũ igitur & medicamen quod habet

id faciendi

id faciendi facultatem. Quæ autem conuulſionem adferunt, non ſuppurãtur omnino: neq; ea quæ ſunt putredini obnoxia, & quæ difficulter ad cicatricem perueniunt, & quæ ex malis ulceribus proprijs nominibus inſigniuntur, ueluti quæ Cancroſa, Chironia, Telephia & Phagedenica, id eſt, carnem comedentia nominantur, hæc omnia ulcera non ſuppurantur. Calidum præterea cutem duram mollit, extenuat, dolorem ſedat, mitigat diſtentiones, non ſicut dolorem inſuppurabilem efficit, quoniam eſt à natura noſtra alienum: quæ eſt calor natiuus, quem coauget. Capitis grauitatem, concoquens & diſſoluens ea quæ moleſtant. Fracturis oſſium: frigidum enim non oſſibus tantum, ſed cerebro quoq; eſt inimicum. Sanat ſerpentia comeſa, quæ quamuis ab humore bilioſo calido fiant, tamen propter exulcerationem frigidum eſt ipſis inimicum, ut quod eis mordax exiſtat. Sedi confert, quoniam neruoſa ſedes eſt: frigidum uero neruis eſt inimicum: frigiditas quoq; facile ex ſede ad uentrem aſcendit & eodem modo caliditas. Sunt & ueſica & uterus partes neruoſæ, & ſuperiacentibus partibus facile tradunt frigiditatem. *Natura noſtra.*

Caluis magnæ uarices non fiunt. Quibus uero caluis magnæ uarices ſuperueniunt, ij rurſus capillati fiunt. 6. 34.
NOTA Caluicium eſſe paſſionem inſanabilem, neq; uerum eſſe quod magnæ uarices caluis nunq̃ adueniant, ſicuti neq; quod uaricibus aduenientibus caluicies ceſſet. Verus tamen eſſet ſermo Hippocratis, ſi per caluicium capillorum defluuium intelligeretur. Illud enim cum à uitioſis humoribus generetur, quãdo ijdem humores ad crura decumbunt, poſſunt uarices facere & capillos reſtituere, & contra.

Sub cane & ante canem difficiles ſunt medicationes. 4. 5. Exuſta enim tunc natura eam quæ à medicamentis purgantibus nõ fert acritudinem, plures purgati incidunt in febres,

imbecillis item ex æſtu & natura magis ex purgatione diſſoluet, calor item aeris ambientis in partē trahit extrinſecā, contrariam ei, ad quā medicina ducit humores. Eadem ratio indicat etiā in balneis non eſſe aſſumendū pharmacum.

Cancros occultos omnes melius eſt non curare. Curati enim cito pereunt, non curati uero longius tempus perdurant. 6. 38. Occultos dixit, uel eos qui ſunt ſine ulceratione, uel abſconditos & non apparentes, id eſt, qui in profundo corporis ſunt. Licet aūt particula ad ſanitatem perduci non poſſit, mollire tamen ipſam & mitiorem facere, præſertim cū adeſt exulceratio, nihil prohibet. ut ſi non aliud agamus, ſaltem ſaniem abluamus humido aliquo utentes, quod neq; putrefacere neq; irritare partē patientem natura ſit aptum. Quæ uero cura fit per uſtionem uel ſectionem, quæ ſola ſunt remedia cancrorum in partibus penitioribus, eſt intermittenda. Nam qui cancrum in palato conſtitutum, inquit Galenus, & in ſede & in ſinu abſcondito muliebri, uel uſſerunt uel ſecuerunt, non potuerunt ulcera ad cicatricem perducere, & homines in cura afflictos ac maceratos, uſq; ad mortē colliquarunt: qui ſi nullam curationem adhibuiſſent, longiori tempore uitam cum minori moleſtia tranſegiſſent. Ex eis uero qui in ſumma parte corporis hærent, illos tantum, quos poſſumus unà cum radicibus reſecare, & exurere curare tentemus.

Capitis partem poſteriorem dolenti in fronte recta uena *Auerſio.* inciſa prodeſt. 5. 68. Et hoc per auerſionem. Auerſio fit ad contraria, ſecundum longitudinem quidem ſupra infraq;. Secundum latitudinē uero à dextris & ſiniſtris. Secundum profundum uero ante & retro. Poſſunt & ea quæ fiunt in anterioribus, euacuari in ijs quæ ſecundum occiput. Nam & di *Oculorum fluxus.* uturnæ oculoꝶ fluctiones ſæpius ſanatæ ſunt ex partibus ſecundum occiput ſanguine miſſo, unà cum cucurbitulæ uſu.

Caput

Caput dolenti,& circundolenti,pus uel aqua uel ſanguis effluens per nares aut os, aut aures, morbum ſoluit.6.10. NOTA hunc Aphoriſmum fore irreprehenſibilem, ſi quod deeſt adijciatur, quemadmodum aſſeuerat Galenus hoc modo. Quando ſcilicet uel propter inflãmationem,uel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit, tunc inflãmatione ſuppurata, aut humore excreto, ſolutio doloris fit morbi. Si uero propter ſpiritum flatuoſum aut ſanguinis multitudinem, aut bilem mordacem, aut omnino ex intemperatura dolor acciderit, per alia ſanabitur.

In capitis ictu, obſtupeſcẽtia & deſipientia malum.7.14. Deſipientia agnoſcitur loquentibus agentibusúe nihil conſentaneum rationi. Obſtupeſcentia uero quando neq; aliquid dicunt,neq; agunt,ſed apertis oculis quieti manent,ſimiles ijs qui ex timore ſunt attoniti. Ii caſus fiunt cerebro patiente,in quo eſt animæ principatus. Ex quo autem indicant cerebri læſionem, licebit inde etiam magnitudinem paſſionis conſiderare. *Deſipientia.* *Obſtupeſcentia.*

Carnoſos bene mediocriter,uomentes difficulter,per inferiora,cauentes hyemem.4.7. Aeſtate enim magis per uomitiones, hyeme autem per inferiora purgare oportet. Bilis enim per æſtum,pituita uero per hyemem plus dominatur, quarum hæc potius deorſum, illa uero ſurſum natura agitur. Id quod medicum imitari oportet.

Cartilago,os, aut neruus quando abſcinditur in corpore, non augetur.7.28. NOTA ſuperfluè hunc ſermonem ad iectum eſſe. Nam Hippocrates copioſius huius ſententiæ meminit lib. 6. Apho.19. Repetemus ſingula in litera O, ubi os diſciſſum tractabimus.

Cerebrum aliqua ex cauſa ſi concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri.7.58. Mutos nominat qui nullum alium *Muti.*

motum ſeruant ſecundum electionem, uel nihil omnino ſentiunt. Iacent autẽ eodem modo quo apoplectici ſine ſenſu & motu. Ex concuſſione uero cerebri talis fit corporis diſpoſitio: & concutitur propter aliquem caſum totius corporis uiolentum ex locis alterioribus factum. Quòd ſi neruus aliquis eorum qui à ſpinali medulla naſcũtur, abrumpatur: quod non minus & in ipſo cerebro fieri poteſt; contrahitur uis animalis à motu uehementi moleſtata, & propter hoc quieſcit, nulli uero nerui ſufficienter tenduntur, quidã etiam ex parte diſtrahuntur, & donec ſe uis animalis collegerit, mutum atq; immobile totũ iacet, quod ita afficitur animal. Si uero cerebrum auelli contigerit, aut ſecundũ eius aliquam partem auelli, qui ita patiuntur non referuntur.

Cerebrum quibus ſphacelatum, id eſt, corruptum eſt, in tribus diebus pereunt, ſi uero hos euaſerint ſani fiunt. 7. 51.

Sphacelus. Sphacelatum hic non dicit pro corrupto cerebro, quia non contingit hunc qui ita ægrotet perſanari. Huius igitur diſpoſitionis inceptionem, cũ nondum completa eſt intelligit. Quòd ſi æger ad diem quartum peruenerit, ſperandum eſt morbũ declinare, & uires eſſe fortes, ita ut ipſum peruincãt.

Gangrena Ita quinetiam alibi quanquam Gangrena dicitur paſſio in qua ob magnitudinem inflammationis in carnoſas partes inſenſibilitas quædã atq; nigritas, & morticinium inducit, dicimus tamen illos qui in paſſionem incipiunt incidere ad Gangrenam ire. Et ſicut Gangrenam iam cõpletam ſanare eſt impoſſibile, ſic & ſphacelum completum &c.

Cerebrum diſciſſum, quære in Veſica diſciſſa.

Cerebrum quibus præciditur, ijs neceſſe febrem, & bilis uomitum ſuperuenire. 6. 50. Febrem ea ratione communi qua quolibet membro principali patiente inflãmationem, ſubſequitur febris. Bilis uero uomitus fit compatiente uentriculo propter eius cum cerebro communicationem, ore

præſertim

præſertim ipſius ad quod terminat, ex cerebro effatu digna quædam neruorum coniugatio.

Cibis difficilius eſt impleri quàm potu. Quære, Potu facilius eſt impleri.

Cibus præter naturam plus ingeſtus ſicubi eſt, hic morbum facit, oſtendit autem ſanatio. 2. 17. Oribaſius hac ecphraſi interpretatur. Vnicuiq; inquiens, tantum offer, quantum concoquere ſufficiat, ſin uero amplius ingeritur, morbos generat. Idem Oribaſius poſtrema uerba adiungit Aphoriſmo ſequenti, cuius quum nõ reddit legitimã rationem, non eſt ꝙ à Galeni diſcedamus interpretatione, licet hunc Iudæus quidam imitetur, cuius codex in Aphoriſmos Hipp. compoſitus, & multis locis ex Oribaſij commentarijs repaſtinatus, repertus eſt in Bibliotheca Ratisbonenſi. NOTES uero Galeno ita placere legendum. Oſtendit autem & ſanatio. Neq; enim ſola ſanatio oſtendit cibum ubi plus modico ingeritur facere morbum, ſed & rei natura ſimul indicat, atteſtante ſimul etiam ſanatione. In omnibus enim artibus his quæ ſunt rectè excogitata accedit etiam ex euentu teſtimonium. Illud uero in præſenti ſermone eſt ea quæ ſequitur ad noxiorum humorum euacuationes, ſanatio. Si quis enim plus conſueto aſſumpſerit cibi, mox agrauato corpore incipiat febricitare, & euacuatus inde iuuetur, ſtatim exiſtimatio de multitudine confirmabitur, & creſcet audacia in ijſdem ſimili modo euacuandi.

Commentarij Iudæi in libros Aphoriſmorũ Hippocratis.

Cibus aut potus parum deterior, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus eſt præferendus. 2. 38. Nam quæcunq; cum uoluptate aſſumuntur, iſta uentriculus amplexat, & magis concoquit, ſicut illa quæ diſplicent refugit. Vnde & nauſeæ & flatus & fluctuationes ſubſequuntur.

Coaleſcunt non amplius diſciſſum os, cartilago, neruus, genæ particula, præputium. 6. 19. Quære, Os diſciſſum.

Collum ſi peruertitur à febre habito & uix poteſt deuorare ſine ullo tumore, letale eſt. 4. 35. Si hoc proueniat ex inflammatione non erit omnino exitiale, uerum ſi propter excedentem id accidat ſiccitatẽ letalis erit caſus, & præcipuè cum uehemens adſit febris, quæ duplicẽ habebit ad mortem rationem, & quia ſignum erit quod fiat euerſio propter ſiccitatem & deuorandi difficultas, quæ & ipſa aliquid afferet, ut una ex cauſis perducentibus ad mortem.

Color ubi fit alius ex alio, & ſi corpus refrigeretur, & rurſus calefiat, & ubi in toto corpore mutationes fiant, longitudinem morbi ſignificat. 4. 40. Variæ diſpoſitiones diuturniores ſemper ſunt ꝙ quæ ſunt uniuſmodi, quum non poſſit natura paruo in tempore multas conficere diſpoſitiones.

Comitiali morbo laborantes iuuenes, mutatiõe maximè ætatis & temporum & locoꝝ & uictuum quoq; liberantur.

Epilepſia. 2. 45. Frigidus eſt̃ & craſſus eſt humor qui facit Epilepſiã, atq; iccirco iuuenum ætas calidam & ſiccam habens tẽperaturam, maximum affert auxiliũ, ijs qui morbo hoc laborãt, ſic & locus calidior & ſiccior, & ſimiliter uictus. Quanꝙ magna ex parte uictus deprauatus hanc paſſionem generat, unde etiam hoc nomine uictus mutatio proderit.

Comitiales morbi ante pubertatem mutationem accipiunt, quibuſcunq; aũt uigeſimo quinto anno, cõmoriuntur. 5. 7. Mutationem hic ſolutionẽ appellat. Sicut em̃ hi craſſi ac frigidi & pituitoſi. Ceſſant autem ob ætatem ad ſicciorem naturam tranſmutatam, & ob exercitationẽ, & uictum exiccantem adiunctis ad hæc idoneis medicinis.

Concocta medicari, atq; mouere non cruda, neq; in principijs modo non turgeant, plurima uero non turgent. 1. 22. Medicari hic uſurpat pro medicamento purgante uti.

Turgere. Turgere autem per metaphoram ab animalibus Venere irritatis, ad humores translatũ. Nam ſicut illa ſtare loco non

poſſunt,

poſſunt,quodammodo titillantia,impulſa & concitata. Sic & humores in motu uehementiore ab una parte ad aliam in morbi principio,hominem infeſtant mouentes, titillantes & quieſcere non permittentes, cum & ipſi pariter moueant, & tanto modo de loco ad locum ægrum moleſtent. Tales humores euacuare conuenit,eos uero qui ſunt in aliqua corporis parte firmati,neq; alio auxilio mouere oportet,neq; medicari ante coctionem. NOTA hunc Aphoriſmum Galeni teſtimonio in quibuſdã exemplaribus nõ eſſe ſcriptum. Vide Manardum lib. 13. Epiſt. 2.

Concepit mulier, ſi quum dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam dederis,& ipſa alui tormina patietur, ſi minus, non concepit. 5. 41. Tormina fiunt propter mordacitatem. Fiunt & propter ſpiritum flatuoſum, qui facilem nõ habet exitum, quæ etiam tormina fieri nũc eſt arbitrandum in mulieribus quæ conceperunt propter eam quæ fit ex utero anguſtationem.

Concepit ſi marem mulier bene colorata eſt,ſi uero fœminam,male colorata. 5. 42. Quoniam frigidior eſt fœmina mare. Nunq; uero talem concepiſſet,niſi uiri ſemen,uel uterus mulieris frigidior eo tempore fuiſſet in quo concepit. Eſt autem hoc ex eorum numero quæ ſæpe accidunt. Aliquando enim & contrarium fieri ſolet.

Concipiunt minimè quæcunq; frigidos & ſpiſſos uteros habent,& quæcunq; præhumidos uteros habent, extinguit enim in eis genitura. Et quæcunq; ſiccos,& magis adurentes. Nam ex defectu alimenti corrũpitur ſemen. Quæcunq; uero ex utriſq; mediam habent temperaturam,hæ fœcundæ ſunt. 5. 62. Quæ habent frigidos & ſpiſſos uteros non concipiunt. Quoniam anguſta ſunt ſupra modum ora uaſorum quæ ad ipſum pertingunt,mulieres uero ſterileſcunt,cum ſecundæ non poſſint adnaſci ad ora uaſorum, neq; ſi hoc fiat aliquando,

aliquando, poſſit bene nutriri conceptus. Vel enim nullo modo fiunt his purgationes, uel omnino paucæ & ipſæ uitioſæ, ſolo tenuiore, & aquoſiore ſanguine perlabente. Et ora facile obſtruuntur, aggregant enim hæ mulieres humorem pituitoſum, ſiquidem corpus totum ut plurimum eſt uteris ſimile. Vterus ſiccus ſimiliter non concipit propter defectum alimenti. In ſiccis enim tale quid accidit, quale ubi aut harenæ aut argiloſæ terræ aut petroſæ mandantur ſemina, quemadmodum in æſtibus ſub cane contingit. Nec addit de uiris ſermonẽ, quia promptum ſit ex his quæ dicta ſunt eaſdem intẽperaturas ad ſemen trãsferre. Bonamq; habentes temperaturam ſiue uiri ſiue mulieres ſemper generabunt, etiam ſi cũ malam habẽtibus coeant. Malam aũt habentes, cũ ſolis his qui contrariã habent coeuntes, gignent.

Helleborus albus. Conuulſio ex helleboro letalis eſt. 5. 1. Sentit de helleboro albo, quando uomentes uehementius lacerantur, propter diſtentionẽ laborantibus neruis ob illam quam habent cum ore uentriculi in patiendo ſocietatem. Contingit & propter ipſam euacuationem ſupra modum ipſis purgatis cõuulſionem aduenire, inanitis neruoſis corporibus, à quibus ſecundum electionem motus fiunt. Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, muſculi & tendones. Fit tertio ex nimia repletione, quæ conuulſio eſt ſanabilis per euacuationem. Quarto morſus ratione in ore uentriculi nerui conuelluntur, quæ conuulſio reduci poteſt ad illam quæ fit ex inanitione, cum humores uim habeant exiccandi. Sanabiles ſunt prima, tertia & quarta conuulſio. Secunda eſt inſanabilis.

Conuulſio ex uulnere letalis eſt. 5. 2. NOTA non ſemper, ſed crebro hanc conuulſionem eſſe letalẽ, ſi uidelicet hoc ſequatur inflammatio quæ neruoſas partes attingat.

Conuulſio ex ſuperflua purgatione aut ſingultus ſuperueniens, malũ. 5. 3. Peior em̃ eſt cõuulſio quæ fit ex inanitione altera quæ fit ex repletione. Conuulſus

Conuulſus qui repente obmutuit ex ebrietate, moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam peruenerit qua ſol-uuntur, crapulæ uocem recuperet. 5. 5. Oribaſi9 ſic enarrat: Si quis ebrius ſubito obmutuerit, malum eſt, quia repletæ ſunt concauitates cerebri, & ſic fit conuulſio, quia patiuntur nerui qui à cerebro procedunt. quum autem patitur principium, quo modo nõ patieẽ hoc quod à principio procedit? Vinum aſſumptum calidum eſt, quod immodice potum in frigus conuertitur. Febris autem curat hunc affectum, quia reſoluit ea quæ infrigidata ſunt à nimio uino.

A' conuulſionibus non admodum capiuntur à quartana capti. Si uero prius capiuntur, & quartana ſuperuenerit, liberantur. 5. 70. Non facit hic mentionem Hippocrates de conuulſione quæ fit ex euacuatione neruoſarũ partium, ſed de ea quæ fit ex repletione, quam quartana prohibet fieri, & ſi fieri anticipauerit, ſoluit. Pituitoſos enim & lentos humores, quartani rigores excernunt, febrilis autem calor qui rigorem conſequitur, eoſdem concoquit.

Conuulſioni febrem ſuperuenire melius eſt ꝙ febri conuulſionem. 2. 26. Nerui enim replentur à frigidis & glutinoſis humoribus, ex quibus etiã nutriuntur, unde conuulſionẽ patiuntur. Febris aũt calefacit, extenuat & diſſoluit. Si uero corpus febri adurenti exiccetur, & neruis deinde conuulſio accidat, maximum & penè inſanabile eſt malum ob ſiccitatẽ quæ remoueri nequit, & morbi acuties uires reſoluit, unde ſubito adfertur exitium.

Conuulſio fit ex repletione, uel inanitione, ita uero & ſingultus. 6. 39. Conuulſio fit reuulſis ad propria capita muſculis, ſicuti etiam eſt motus ipſorum ſecundũ naturam, uerum hic haud quaꝙ fit ſine animalis appetitu. Quare conuulſio *Conuulſio* eſt paſſio inuoluntaria ad ſimilem uenientibus neruoſis partibus in eis diſpoſitionem, quam etiam in motibus factis ſe-

cundum naturam aſſumpſerunt. Et fit ex repletione, ſicuti etiam in excedentibus ſecundum humiditatem aëris ambientis conſtitutionibus accidit chordis. Nam & propter hanc cauſam ſæpe rumpuntur, aſſimiliterq́ in ſicciorıbus conſtitutionibus afficiuntur, nam in ſe ipſas colliguntur & conuelluntur omnia neruoſa corpora uiolentius exiccata, ſicuti q̄ ad ignē longo tēpore loca calefiūt ſimile quid patiūtur, & quæ Sol æſtiuus exiccauit. NOTABIS melius fortaſſis eſſe Singultum nō conuulſionē nominare, ſed quendā motum eiuſdem cum uomitibus generis, intentum aūt & illo uehementiorem. In uomitibus eñ appetit ſtomachus ea tantū, quæ in uentriculi ſpacio latiori continentur expellere. In ſingultibus autem & ea quæ ſunt in ipſius ore penitiora.

Nerui exſiccati. *Singultus.*

Conuulſio ab Ileo, ſimiliter uomitus, ſingultus, deſipientia, malum. 7. 10. In ileis nihil excernitur per inferiora, & hoc eſt proprium paſſionis. Vomitus autem non ſemper adeſt, ſed quādo exitiales ſunt, & ſi uehementius diſtorquea antur, ſtercus eis aſcendit & ſingultiunt. Quidam etiam conuelluntur & deſipiunt compatiente neruorum principio ſtomachi paſſioni.

Conuulſio aut diſtentio neruorum ab æſtibus fortibus, malum. 7. 13. Quidam pro æſtibus febres intellexerunt, non nulli aëris ambientis feruorem, alij cauteria & eſcharas, & omnes uerum dicunt. Superueniunt enim his omnib⁹ haud quaq̄ ad bonū diſtentiones neruoꝝ & conuulſiones propter neruorum ſiccitates, quas diximus eſſe difficillimas.

Conuulſio in uigilia uel deſipientia, malum. 7. 18. Vigiliæ ſunt ex his quæ maximè euacuant & exiccant, atq́ ideo immodicæ ſiccitatis ratione conuulſionē & deſipientiā faciunt, ac præterea quia in lōgis uigilijs bilioſior redditur ſanguis. NOTA in quibuſdā exemplaribus deſipientiā obmiſſam, quia ut Gal. arbitratur, peſſima quæ ſuperueniunt ſcribunt hoc loco.

Conſuetudo

Conſuetudo. quære, Victus quibus ſemel aut bis.

Conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles uel ſenes non conſuetis, fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. 2.49. Per labores intellige curſum, uel inceſſum uel motionem manuum certa lege factã, uel fodere terram, remigare, arare. In qbuſdam taliũ plures uel pauciores partes operantur, omnibus tamen cõmune exiſtit quòd partes exercitatæ fiunt robuſtiores, atq; iccirco labores cõſuetos facilius ferũt. *Labores.*

Conſueta ex longo tempore, & ſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent. Oportet igit̃ ad inſueta permutari. 2.50. Quanto enim ſimilius factum fuit id quod tranſmutat, ei quod tranſmutatur, citius alterat ipſum. Denſatur corpus à frigido, laxatur à calido, atq; ideo conſueta facilius perfert, ab inſuetis uero moleſtatur. Si enim laxato corpori ob calorem ambientem, repentè frigus ſuperuenerit, in imas eius ſtatim partes ſubintrat, & maximè offendit. Ad inſueta autem tranſmutandum eſt, quia cum omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubijciantur, ne igitur incidentes aliquando repente in nobis inſueta, multum offendamus, ſatius eſſe inquit oĩa tentare, non ſemper inhærẽtibus nobis his quibus aſſueuimus, ſed & nonnunq; contraria tentantibus. *Magnatũ et opulentorũ liberis obſeruandum.*

Cordis morſum ſeu uertiginem & oris amaritudinem ſentiens abſq; febri, uomitu indiget. 4. 17. Quære, Febrem non habens, abſtinens à cibo.

Cor diſcindi letale. Quære in Veſica diſciſſa.

Corporis mutationes, Quære in Coloribus alijs ex alijs factis.

Corporis magnitudo iuuentæ quidem neq; indecẽs, neq; illiberalis, ſenectæ uero inutilis & deterior paruitate. 2. 54. Si magnitudinem corporis in proprio ſignificato, id eſt, quæ longitudine, latitudine & craſſicie moderantiam exuperat, Hippocrates dixit; nihilo deterior eſt in ſenectute, q̃ *Magnitudo corpis*

 paruitas.

paruitas. Si uero longitudinem corporis uel craſſitudinem intellexit, hæ deteriores atq; inutiliores ſeneſcentibus ſunt. Ex longitudine enim ſenes gibbi fiunt & uix poſſunt corporis onus perferre. Cuius reddit Oribaſius rationem talem: Sciendum quòd natura fecit muſculos quatuor, quorum duo ante & duo poſterius ſunt, qui noſtrum dirigunt corpus. Ergo in ſenibus illi interius deſiccantur & tabefiunt & curuantur.

Gibboſi ſenes.

Craſſæ præter naturam mulieres non concipiunt utero, his enim omentum os uteri comprimit, & priuſq; extenuentur non concipiunt. 5. 46. Dicit nunc os illud quod intus eſt ubi uterus deſinit, collum uero incipit, quod magis proprie os uteri diceretur. Altera uero colli extremitas quæ mulieris pudendis coniungitur, non uteri, ſed ipſius colli os dicendū. Oribaſius Aphoriſmi rationē adfert talem: Quia obturatū & omento cōpreſſum eſt ſecundū orificium uteri (duo eñ ſunt orificia) & nō pertingit ſemen ad locū competentē, aut ſi forte pertingat præ nimia craſſitudine expellit.

Orificia uteri.

Coxendicum dolore diuturno moleſtatis, ſi excidat coxa & rurſus incidat, ijs mucores ſuperueniunt. 7. 59. Sæpe in articulis humor pituitoſus aceruatur, quem Mucorem appellat, à quo madefacta articulationis ligamēta laxiora redduntur, atq; ideo facilè à cauitate articulus excidit, & rurſus non cum difficultate incidit. Per coxam autem intellige articulum coxæ,

Mucor.

Coxendicū dolore moleſtatis diuturno, ijs coxa ſi excidit, crus tabeſcit, & claudicant, ſi nō urantur. 6. 60. Suadet aduri quod ſecundum coxam, ut id quod mucoſum abſumatur, & ut laxitas cutis ad quam articulus lubricabat, magis ex aduſtione contracta arctet & prohibeat tranſponi. Si uero ob multitudinem mucoris extra ſuum locum diu coxa ſteterit, eſt quidem iam hoc claudicatio, neceſſarioq; contabeſcet.

Craſſi

Craſſi admodum natura, citius intereunt, quam qui graciles. 2.44. Anguſtæ enim ſunt horum arteriæ ac uenæ, atque ob id paucum omnino ſanguinem habent, ſpiritumúe, adeo ut cum ætate proceſſerint, cito ipſis uel paruam ob cauſam calor natiuus deſtruatur.

Creſcentes plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus abſumitur. Senibus uero parum calidi innati ineſt, paucis propterea uomitib⁹ egent, quia à multis extinguitur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus. 1.14.

Criticorum indiciarios dies Hippocrates lib. 2. Aph. 23. & 24. exprimit, dicens: Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Septenorum quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem & undecimus contemplabilis. Ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus uero & decimusſeptimus contemplabilis, ipſe ſiquidem quartus eſt à quarto decimo, ſeptimus uero ab uno decimo. Oribaſius tractionem longiorem tribuit Hippocrati. Inſpiciendus eſt, dicens & quintuſdecimus dies. Hic enim tertiæ ſeptimanæ cõtemplatorius eſt. Conſiderandus & 21. & 24. & 27. Similiter uero 31. 34. 37. necnon 41. 44. & 47. inſpicere oportet. Hanc totam ſeriem diuidi oportet in quinque partes, ſic inueniemus cur Hippocrates in diebus criticis quaternariam differentiam faciat. Sit ergo prima pars quæ hos numeros contineat. 1.2.3.4.5.6.7. Secundo uero hos 11.12.13.14.15.16.17. Tertia autem hos. 21.22. 23.24.25.26.27. Quarta item hos 31.32.33.34.35.36.37. Quinta quoque hos 41.42.43.44.45.46.47. Quæ quinque partes à ſe quaternario diſtant. A' ſeptem enim uſque ad 11. quaternarius differentiam facit infra primam & ſecundam ſeriem. Similiter in ſecunda ſerie poſt 17. uſque ad 21. atque

eodem modo in ſequentibus. In his etiam partibus ſingulis tres criticos ineſſe uidendum eſt. In prima, 1.4.7. omnes á ſe quaternario numero diſtinctos. In ſecunda, 11.14.17. Tertia, & quarta & quinta ſimiliter. Illud quoq; annotandum quaternarium non uno modo differentiam facere. Nam in ipſis partibus á præcedente numero incipit, inter ipſas uero partes abſq; præcedente numero procedit. Sic igitur quaternarius per omnem horum ſupputationem decurrit. Qua ratione nouenarium Hipp. obmittit, quem Galenus non immerito criticis adijcit, eſt enim ſine dubio & ipſe criticus. In eo autem diſcrepat tantum quaternarij ſupradicti concinnitas, á ſeptenario enim tertius eſt, non quartus: á nouenario quoq; undenarius ſimiliter tertius eſt, non quartus.

Criſes antequam fiant adiectioni ſubtrahere oportet, 1.19. Quære acceſſionem per circuitus habentibus.

Criſis ubi fit, & facta eſt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid ſiue medicamentis ſiue aliter irritando, ſed ſinere. 1.20. Si quicquam deficiat, id quod deficit oportet adiungere. Si uero indeficiens ſit, nouari nihil debet. Primoq; ad criſin perfectam requiritur ut fiat per euacuationem inferiorem, & non per abſceſſum. 2. ut humor abundans & noxius euacuetur. 3. ut recto fiat tramite. 4. ut facilè toleretur. 5. ut fiat cum coctione. 6. ut fiat in die iudicatoria.

Poſt Criſin quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuerunt. 2. 12. Malorum humorum reliquias intelligit, quas neceſſarium eſt tempore putreſcentes febres accendere, ob quam cauſam eos etiam euacuare oportet.

Criſis quibus fit, ijs nox grauis ante acceſſionem. Quæ uero ſubſequitur magna ex parte leuior exiſtit. 2. 13. Quia ſomnis á turbatione interruptis clarius grauitas percipitur. NOTA partem alteram Aphoriſmi non in omnibus exemplaribus haberi, quanquam uera eſſe poteſt, quoniam plures

iudicati-

iudicationes bene terminantur. Nouimus enim plures eſſe ex ægrotis ſanatos ꝙ mortuos, niſi ſit peſtilens conſtitutio.

Criticos quære in Aphoriſmo: Febricitanti ſudores.

Cutes aridæ quibus circumtendũtur & ſiccæ, ſine ſudore moriuntur, quibus uero laxæ & raræ cum ſudore moriunt. 5.71. Prioribus ſiquidem uel humiditas omnino deeſt, uel cuti, alijs uero ineſt, & cuti.

DElirium ubi ſomnus ſedat, bonum. 2.2. Veritas ſermonum uniuerſalium, ex huiuſmodi exemplis magis dilucet. Dixerat enim ſomnum laborem facientem, eſſe mortalem, ſi uero iuuet, non mortalem. Pari modo inferas licebit. Vbi igitur dolorem ſedabit, bonum. Vbi igitur febrem ſedabit, bonum. Vbi igitur inflãmationem ſedabit, bonum.

Delirio ſoluuntur, qui in febribus ardentibus tremores fiunt. 6.26. Quæ enim hanc febrem efficiũt cauſæ in uenoſo genere exiſtentes, quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt, compatiente uero principio, etiam deliria. Fieri enim poteſt ex arterijs & uenis ad neruos tranſfluxus humorum noxiorum in omni febre, ſicuti rurſus ex neruis ad has. Galenum tamen de hoc Aphoriſmo NOTABIS nonnihil addubitare. Hæc enim Hippocrates dicit ſoluere morbos aliquos, quæcunq; omnino hominem *Soluere* liberant, non quæ alteram generant paſſionem, quæ nihilo *morbum.* minus ſit quàm prima periculoſa.

Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt ſecuriores, quæ uero cum ſtudio, periculoſiores. 6.53. Omnium periculoſiſſimæ aduntur per Galenum, quæ ſunt temerariæ. Quæ autem fiunt ex ſola caliditate ſine humore uitioſo, ſimiles quodam modo ſunt eis, quæ ex ebrietate cõtingunt. Quæcunq; uero ex flaua bile, cũ ſtudio perficiuntur: ipſa uero multũ exuſta, ut iam magis ad atræ bilis naturã accedat, ſunt inſaniæ ſatis furioſæ.

Deſipientia à profluuio ſanguinis, malum. Quære Conuulſionem à profluuio ſanguinis.

Deſipientia quid ſit, quære in Capitis ictu.

Deſipientia ab Ileo, malum. Quære Cōuulſionē ab Ileo.

Deſipientia in ictu capitis, malum. 7. 14. Quære in Capitis ictu.

Deſipientia in uigilijs, malum. 7. 18. Quære Cōuulſionem in uigilia.

Deiectiones ſynceræ & faſtidium cibi in morbo diuturno, malum. 7. 6. Deiectiones intelligit impermixtas aquoſæ humiditati, quum ſolus humor euacuatus deijcitur, ſiue ſit bilioſus ſiue melancholicus, ſiue bilis porracea, ſiue eruginoſa. Significant em̄ exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatem à calore febrili. Malum eſt & cibi faſtidiū. Nam in diuturnis morbis qui ſunt euaſuri contrariū potius experiunt̄, uehementem ſcilicet ciborum appetentiam.

Adiectione ſyncera dyſenteria, id eſt, inteſtinorum difficultas, malum. 7. 23. Talibus enim excrementis facilè exceditur inteſtinum.

Deiectiones nigras qualis eſt ſanguis. Quære Qualis ſanguis.

Deiectiones ſi ſtare permiſeris & non moueris, ſi ueluti ſtrigmenta ſubſiſtunt, ſi pauca, paucus eſt morbus, & ſi multa, multus, ijs confert alui purgatio, quod ſi aluo non purgata dederis, ſorbitiones quanto plures dederis tanto magis nocebis. 7. 64. NOTA qui hos Aphoriſmos interpoſuerunt, Galeno uidentur ad hunc finem feciſſe, ut ſermonem confunderent, tanq̃ ænigma quoddam, & ut multa indigeret inquiſitione, in qua ſe ipſos eorum quæ dicuntur expoſitores conſtituentes, apud adoleſcentes laudē aſſequerentur. Quòd autem omnes obſcuri ſermones, dant Sophiſtis garrulitatis occaſionē, fiet tibi in hoc Aphoriſmo manifeſtum.

Nonnulli

Nonnulli hunc de alui excrementis tantum, quidam & de urinis dictum arbitrantur. Quidam non uetare Hippocratem quin dentur ſorbitiones hoc modo affectis, ſed plures ſorbitiones, alij finem huius ſermonis Aphoriſmi ſequentis faciunt initium &c.

Deſtillationes in uentrem ſuperiorem ſuppurantur intra uiginti dies. 7. 38. Intelligit deſtillationem quæ à capite fertur per aſperam arteriam. Suppuratur autem magna ex parte in 20. diebus, non in 21. ut quidam dixerunt. Semper enim die 20. iudicatorium facit Hippocrates, non 21.

Diſtentio in iuuene carnoſo curatur perfuſione aquæ frigidæ. Quære, Aquam frigidam.

Diſtentio neruorum ab æſtibus fortibus, malum. Quære, Conuulſio aut diſtentio.

Die eadem quū modo calor fit modo frigus, autumnales morbos expectare oportet. Quære, Autumnales morbos.

Dies indiciarios. Quære, Criticorum dies indiciarios.

Dolentes parte aliqua corporis qui tamen omnino dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat. 2. 6. Dolor tribus modis, inquit Oribaſius, non ſentitur. Aut paruitate, aut obliuione, ut in Heremitis qui obliuiſcuntur nonnunquam doloris, quanquam illum continent. Vnde & aliquando dicunt, quum non dolent, oblitus eſt noſtrum Deus noſter. Aut nimietate, quando in non ſentientis corpore mens ægrotat.

Doloribus duobus ſimul eundem locum infeſtantibus, uehementior alterum obſcurat. 2. 46. Tunc enim uis ſenſibilis tota ad uehementiorem dolorem ducitur & diſtrahitur. Nam & hoc nobis in mœroribus etiam ſolet accidere, qui ſunt & ipſi ueluti dolores quidā ſolius animi ſine corpore. Nam & horum qui ſunt uehementiores occultant minores, ſi quidem non eadem ex re ortum habeant, alioquin & illi ſeipſos coaugent.

Mœrores animi maiores occultant minores.

Dolores ac febres accidunt magis, dum pus conficitur & iam confecto.2.47. Dolor fit extenta ſimul ac calefacta præter naturam inflammata particula. Febres uero ſequuntur principio concalefacto,& hæc ambo cōtingunt ex quadam ueluti ebulitione, atq; exuſtione ſanguinis, qui ubi ex toto exuſtus fuerit reſiduum eius fit pus,quēadmodum ex lignorum exuſtione cinis, atq; ideo tēpore illo dolores ſedantur, ac febres,præſertim cū pus fuerit excretum,utpote iam conſumpta materia, extincta autem ignea caliditate.

Dolores ſupra præcordia purgatione per ſuperiora indigere ſignificant. Quicunq; uero inferiora moleſtant, per inferiora.4.18. Addidit Galenus,purgatione indigentes,ne quis forte arbitretur curare Hippocratem omnes dolores ſimpliciter per euacuationem. Neq; enim nūc dixit hoc, ſed quod ſecundum humorum infeſtantium motiones,oportet etiam facere euacuationes, & neq; ſupra præcordia dolores per ſubducentia medicamenta euacuare,neq; infra conſiſtentes per uomitiones.

Dolor lumborum & grauitas genuum,habentur in Lumborum dolore.

Dolores abſq; ulcere,tumores articulorum, & podagricos quoq; atq; conuulſa, horum plurima frigida aqua large effuſa leuat & extenuat, ſoluitq; dolorem. Nam modicus torpor dolorē ſoluit.5.25. Principio intellige inflāminationes uel inflāmina, quæ ad rubrum & ſubcruentū recenti ſanguine tendunt.Hæc enim à frigida aqua ſanantur,quia hæc influxum cohibet, & hac ratione corpora euacuat,qua propter & dolorem in talibus ſoluit, quia & eius cauſam abſcindit. Et refrigeratio etiam partium longior,adfert torporem mediocrem,qui & ipſe dolorem ſoluit ſenſum hebetando.

Dolores laterum & pectoris, quære in Laterũ doloribus.

A' dyſenteria leuitas inteſtinorum ſuperuenit.7.73.

NOTA

NOTA ſurreptitium hunc eſſe Aphoriſmum, ſcriptusq́ ab Hippocrate habetur alibi, nẽpe in Lienoſis qui capiuntur difficultate inteſtinorũ, hydrope & leuitate inteſtinorum.

Dyſenteria ab alui profluuio ſuperuenit. 7. 71. Abraduntur enim paulatim inteſtina, deinde in profundum malum ſubit, atq́ ita exulcerantur. NOTA tamen legitimam huius tractationem Hippocratem potius eſſe proſecutum in eo Aphoriſmo qui incipit, A' deiectione ſyncera difficultas inteſtinorum.

Dyſenteria ſi ab atra bile incœperit letalis eſt. 4. 24. Hæc enim eſt inſanabilis cum nihil differat à cancro ulcerato. Cum autem cancer in exteriore parte conſiſtens ſit cum difficultate ſanabilis, aut omnino inſanabilis, quamuis poſſit continuo medicinam habere inſidentem: rationabile eſt illum qui occupat inteſtina nõ ſolum quia nihil illi continuo adhærere poteſt, uerum etiam quia ſemper ab alimenti ſuperfluitatibus tangitur, eſſe penitus inſanabilem.

A' dyſenteria habito, ſi ueluti carunculæ exeant letale eſt. 4. 26. Primum enim in Dyſenteria corpora pinguia excernuntur, deinde quædam ramenta inteſtinorum, poſthac aliquid ex ipſa abraditur ſubſtantia inteſtinorum. Quando autem partes adeo magnæ inteſtinorum in dyſenteria excernuntur, ut poſſimus eas carnes nominare, letalem eſſe morbum dicit. Cum neq́ caro concreſcere, neq́ cicatrix obduci in tali poſſit exulceratione.

In Dyſenterijs longis inediæ ex faſtidio malum, & cum febre peius. 6. 3. Ventriculus enim inteſtinis compatiens ad coquendum offenditur, qua offenſione magis ac magis ad ſuperiora perueniente, quando & os uentriculi una afficitur, cibum faſtidiunt, & inappetentes euadunt. Ab initio uero nonnulli cibum faſtidiunt propter malos humores fluentes à iocinore, quibus abraduntur inteſtina, præſertim

cum hi amaræ bilis naturam habuerint, nam pars eorum ſuperfluitatis ad os uentriculi effertur. In longis uero dyſenterijs cum hic caſus euenerit mortem quandam ipſi aduenisſe uētriculo compatiendi ratione ſignificat, in qua omnino interijt appetentia, opus ad uitam neceſſarium. Quod ſi febris accedat, duorum alterum, uel putredo eſt circa ulcera uel digna effatu inflammatio, atq; ita toto patiente uentriculo ægri ſe habent exitialiter.

Dyſenteriæ reliquum quære in inteſtinorum difficultatib9.

Ducere quæ oportet quo maximè natura uergit per loca conferentia eò ducere 1, 21. Quære, Natura quo uergit.

EBrius cōuulſus repentè obmuteſcens, moritur. Quære, Conuulſus qui repentè obmutuit.

Epar. Quære in hepate.

Educendum aliquando uſq; ad animi defectionem. Quære, Animi defectionem.

Euacuationes quæ ad extremum deducunt periculoſæ, Quære, Athletarum habitum.

Contraria curari contrarijs. Euacuatio curat morbos qui fiunt ex repletione. Et quicunq; ex euacuatione, repletio, & aliorum cōtrarietas. 2. 22. Oribaſius teſtatur hic Hippocratem oſtendere, quomodo ab ipſo ſit definita Medicina. Morbos enim ex inanitione factos, repletione: & ex repletione creatos, inanitione tolli docet. Igitur ſi per omnia contraria eſt inanitio repletioni, & repletio inanitioni, recte & nos conſentimus, quod ab *Hippocrates amicus naturæ & ueritatis.* Hippocrate amico naturæ & ueritatis bene ſit definitum. Et non ſolū hoc, ſed & omnia contrarijs curabunt auxilijs.

Euacuatione quando indigeat conualeſcens. Quære in litera M. Si à morbo cibum aſſumens quis.

Euacuationem ad animi defectionem. Quære in Animi defectione.

Eunuchi

Eunuchi neq; podagra laborant, neq; calui fiunt. 6.28. Olim enim palatium maximè ſeruabant eunuchi, & præſcripta habebãt cibaria. Vir quoq; exectis teſticulis naturæ muliebris efficitur. Ergo tam ex ciborum abſtinentia, q̃; ex temperie quam natura eunuchorum habet, neq; podagra laborant neq; calui efficiuntur. Nam podagra & caluicies ex intemperantia accidunt. Noſtra uero tempeſtate eunuchi articularijs morbis afficiũtur, quod non abſimile eſt podagræ, quia in ocio & delitijs uiuunt, & labore non exercentur, uiuunt etiam incompoſitè, ac nutriũt craſſum humorẽ, qui ad articulos decurrens, articularem parit morbum. Oribaſius.

Eryſipelas non ulceratũ iuuat frigidum, exulceratũ lædit. 5.23. In hoc ſiquidem dolorem adfert, & hac ratione nocet, cum partes dolentes ſemper ad ſe ipſas moueant fluxiones.

Eryſipelas ab exterioribus uerti ad interiora non eſt bonum, ab interioribus autem ad exteriora bonum. 6. 25. Eryſipelas & aliud quodcunq; quod ex profundis & principalioribus partibus transfertur ad cutem, bonum eſſe ſignum & cauſam exiſtimare debemus.

Eryſipelas in oſſis exutione. 7. 19. Galenus exutis oſſibus raro ſuperuenire eryſipelas tradit, eſſe uero caſum omnino prauum, oſſe nudato carnem circunſtantem uideri ab Eryſipelate apprehenſam.

Ab Eryſipelate putredo aut ſuppuratio ſuperuenit. 7.20. Hæc ſuperueniunt malignis Eryſipelatis.

Excrementa ſpumoſa in alui profluuijs oſtendunt ex capite pituitam defluere. 7.30. NOTA modis etiam alijs fieri excrementa ſpumoſa & non ſolum ſpirituoſo humore ex capite ad uentriculum defluente. Nam & ex uaſis fieret qui ad ipſum perueniunt illum effundentibus. Fieret etiã quando in ipſo uentriculo cauſam habens contentiuam, antecedentes uero plures. Cauſa autem contentiua huius pituitæ *Spumæ.* *Cauſæ.*

eſt flatuoſus ſpiritus dum humori cōmiſcetur uehementem habens motum & inæqualem, ita quòd & ipſe diſrumpitur, & pituitam frangit in multas partes & paruas. Nonnunquam huius cauſa poteſt eſſe multitudo caloris. Sicut in his quæ elixantur apparet ſpuma, & maximè cum tenacem habuerint naturam. In mari etiam cum uiolentia uentis agitato. Vide plura de Rat. uic. in morb. acut. lib. 1. Apho. 36. 37.

Excrementa alui & urinæ & ſudores bonam morborum iudicationem oſtendunt. Quære acceſſiões & conſtitutiones.

Excretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ omnes malæ. Et ſi bene exeunt, ſiue per alui excretionem ſiue per urinas, bonæ. Si uero non aliquid eorum quæ iuuant per hæc loca excernitur, malum. 4. 47. Malæ enim excretiones ſunt prauarum ſigna diſpoſitionum, fiuntque ſæpius eodem modo, quo in ulceribus putridis, quibus liquores ſamoſi defluunt, nihil diſpoſitioni conferentes. Nonnunquam uero ita ſicuti pus, ex abſceſſu diſrupto bene expurgans partem patientem. Indicia uero quòd bene excernatur, maxima ſunt & coctio, & bona tolerantia, cum ipſis uero & morbi ſpecies, & poſt ipſam tempus anni & regio & ætas & natura ægrotantis. Repetit hunc Aphoriſmum lib. 7. Apho. 65.

Excedens modum naturæ, quære in litera F, non fames, non ſatietas.

Excretiones biliosæ, corpus ægrotare ſignificāt. Quære, Fauces ubi ægrotant.

Excretiones ueloces fiunt, eorum quæ uniuerſim & ualociter nutriunt. 2. 18. Velociter nutriunt ea quæ paruo poſt aſſumptionem tempore ſtatim nutriunt, ſuæ naturæ ratione, quam in his exploramus qui integra ſanitate fruuntur. Vniuerſim autem quæ poſtquam alere cœperunt exiguo tempore totum ex ſe præſtant corpori alimentum, huius generis maximè

maximè eſt uinum. Illius uero caro bubula, & cochleæ, uerticelli marini, ſquillæ, cammari atq; locuſtæ.

Exercitium fugiat famelicus. Quære, Famelico non eſt laborandum.

Exercitatorum habitum, quære in Athletarum habitu.

Exercitia conſueta, quære Conſueti ſolitos labores ferre.

Exoluuntur quicunq; frequenter ac fortiter abſq; cauſa manifeſta, repente moriuntur. 2. 41. Quia ob uirtutis uitalis imbecillitatem hoc patiuntur. Sine cauſa manifeſta conſidera, ut mulier quæ longum tempus in balneo cõmorabat frequẽter exoluebatur, atq; in balneo magna ex parte ligna ſuccendebantur uitiata, cauſæ igitur aderant manifeſtæ. Eiuſdem generis ſunt affectus qui uterum infeſtant, & balneum quod adminiſtratur poſt longum ieiunium.

Extenuata longo tẽpore corpora, lente reficere oportet, quæ uero breui, breuiter. 2. 7. Illis enim carnes contabeſcũt. Hæc uero ob humorum & ſpirituum euacuationem extenuationem perpeſſa ſunt, in quibus celeriter ac plenius contingit reficere cum fiduciam nobis præſtet ſolidarum partium robur. Sed quæ lõgo tempore ſunt extenuata, horum graciles redduntur & aliæ partes per quas concoctio in animalibus & diſtributio & ſanguificatio, atq; nutritio perficitur, quare non poterit tantum concoqui alimentum, quanto indiget corpus.

Extremitatum frigus in acutis morbis malum. Quære. Frigus extremitatum.

Extremitatum frigus in dolore uentris. Quære, Frigus extremarum partium.

FEbricitantibus quibuſcunq; in urinis fiunt ſedimina, ueluti farina craſſior, longam ægritudinem ſignificat. 7. 31. Quia diſpoſitio multam requirit coctionem in qua

talis

talis urina mingitur. Comprobat Hippo.hoc ipſum ab experientia. Nam lib. 1. Epidemiorum Silenus quidam minxit totum ſimul ſubcraſſum euacuatum ſedimen inſtar farinæ craſſioris album,extrema rurſus frigida,undecima mortuus eſt. Et lib.3. Qui iacebat in horto Dealcis urinam habebat tenuem uariam,habentem ſublimamenta parua inſtar farinæ craſſioris: & fuit iudicatus die quadrageſimo.

Febrem non habens ſi quiſpiam abſtineat à cibo, & cordis morſum, ſeu uertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat.4.17. A' malis humoribus cor, hoc eſt, os uentriculi mordetur, propter neruorum magnitudinem ad cerebrum uertigo pertingit. Os autem ſentire amaritudinem,ſolius bilis,quæ rufa & flaua nominatur, eſt opus. Quare rectè in huiuſmodi caſibus inquit Hippocrates ſignificari, quòd oporteat purgari per ſuperiora,hoc eſt,per uomitiones.

Febres acutæ non corripiunt ſenes. Quære, Creſcentes plurimum.

Frebres accidunt dum pus conficitur. Quære, Dolores ac febres.

Febricitantibus omnibus uictus humidus confert,maximè uero & alijs qui tali uictu uti conſueuerunt.1.16. Quoniam paſſio eſt calida & ſicca. Humidioribus quoque naturis ſiue propter ætatem,ſiue propter conſuetudinem, non contrariam,ſed magis affinem ſeruandam ſtatuit. Oportet enim naturam eorum fouere per humida, non eodem quo morbos modo demoliri.

Febrem quartanam,quære in Quartana.

Febris ſpaſmo, id eſt conuulſioni, adueniens melior eſt, quàm ſi contrarium accidat. Quære, Conuulſioni febrem ſuperuenire.

Febres acutæ in ſiccitatibus fiunt.3.7. Siccitas enim pauciores

ciores quidem humores efficit,ſed qualitate bilioſiores,unde febres prodeunt acutiores.

Febrientibus quibus ſanguinis fluxerit multitudo,quacunq; ex parte cum reficiuntur alui his humectantur. 4.27. Calore natiuo debilitato ex profluuio ſanguinis, neq; cibi bene concoqui,neq; in ſanguinem tranſmutari, multo aũt magis neq; diſtribui poſſunt per corpus, & propter hæc omnia aluos fieri humidiores par eſt,donec proceſſu tempo ris uires ſuas natura recuperauerit.

Febricitantibus quibus in ſexto die rigores fiunt, diffici le iudicium ſequitur.4. 29. Nimirum quia quatuor res in unũ conueniunt,quæ hoc faciunt. Si natura fuerit infirma, ſi non fuerit concoctio urinæ uel uentris, ſi uehemẽs fuerit affectus, ſi fuerit uirtus debilitata die ſexto, hæc habitudo peſſima eſt. Et quare dies pares ſunt mortiferi? Quia fortiorem habent uirtutem, & in diebus paribus morbus reficit, dolet autem natura. Et ſi die ſexto frigus febri ſuperuenerit, inſolubilis eſt morbus. Oribaſius.

Febris quacunq; hora dimiſerit, quibuſcunq; acceſſiones fiunt, ſi eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile. 4.30. Huius cauſam talem tradit Galenus: Quando cauſa acceſſionum non fuerit fixa,ac ſtabilita,nõ ſeruabit eundem terminum aut circuitum. Vbi uero firmata fuerit, ſeruabit. Atq; ideo difficulter ſolubile quod fixum ac ſtabilitum, facile uero ſolubile quicquid nõ tale. Firmata enim magnam uim demolientem expoſcunt,longo tempore,& per fortiora ac plura factam auxilia.

A' febre habito tumore non exiſtente in faucibus,ſi ſtran gulatio repente ſuperuenerit, letale.4. 34. Galenus non de quauis febre, ſed de magna Hippocratem hic uult ſentire uoluiſſe. Magna autem febris indiget inſpiratione abundanti. Fit uero non modo non abundans, uerum omnino

pauca, ſtrangulatis. Neq; enim aliud eſt ſtrangulatio, ꝙ interitus ſubitus propter defectum inſpirationis, qui fit ex anguſtia alicuiꝰ inſtrumēti, ex his quæ obſeruiūt reſpirationi.

A' febre habito ſi collum peruertitur & uix poteſt deuorare ſine ullo tumore, letale eſt. 4. 35. Quære, Collum ſi peruertitur.

Febricitanti ſudores ſi incœperint boni, & tertio die & quinto & ſeptimo & nono & undecimo & 14. & 17. & 34. Hi enim ſudores iudicant morbos. Qui uero non ita fiunt, laborem ſignificant & morbi longitudinem & recidiuam. 4. 36. Hippocrates quartum diem prætcrijt hāc ob cauſam. Quoniam morbi plurimi peracuti qui cum ſudore iudicantur, tertio & quinto die magis ꝙ quarto iudiciū ſuſcipiunt. Rariores enim ſunt qui die quartó iudicantur, quod á Galeno plurimum fuit inuentum per experientiam, & uidetur accidere hoc, quia morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem uehementiſſimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. In uehementioribus autem acceſſionibus iudicia fiunt, & morbi qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citius iudicantur, qui uero in paribus tardāt. Conſiderandum tamen Hipp. non ſudores tantum, ſed alui excrementa effatu digna, urinas multas, & iuxta aurem abſceſſus uel alium articulū in dictis diebus optimè apparere. Quaſi diceret: Iudicatoria ſigna, ac caſus in diebus iudicatorijs incipiant. Hipp. uero de ſudoribus tantum meminit, & nobis memoriæ ſubiecit iudicatorios dies qui ſunt intra quadrageſimum. Morbi nanq; iſtis diuturniores non admodum ſolent per ſudores iudicari, ſicut neq; omnino per excretiones, ſed uel per concoctionem, uel per abſceſſus.

Febricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. 4. 56. Hanc humiditatem in tempore longiori diſſoluente

ſoluente ac concoquente natura, neceſſarium eſt morbum eſſe longum.

Febres raro accidunt ſenibus. Quære, Creſcentes.

Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus & nihil minui, uel etiam pluſq; ratio poſtulat contabeſcere malum. Hoc enim morbi longitudinem. Hoc uero imbecillitatem ſignificat. 2.28. Febris aut internas aut externas corporis partes tenet. Quoties ergo externas occupauerit, ſignum eſt, non craſſos eſſe ægros, & ualida natura ſuperfluitatem ad ſuperficiem expellere. In his equidem non moratur febris. Quoties uero interna cœperit, ſignum eſt craſſas eſſe habitudines & obeſiores, & nimiam pinguedinem conclutinationem facere pororum, & non dimittere calorem euaporari foras. Habitudo quæ ſolida uidetur interius extenuat & occidit. Vnde hoc cognoſcitur ex ratione malum eſſe, quantum pinguis eſt materia; & aliud, quia quanto interius detinetur calor, tanto maior accidit debilitas. Oribaſius.

Febres quæcunq; non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ. Quocunq; autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur. 4.43. Galenus rationē refert, quia intermittentes nō ex inflāmatione aliqua, neq; ex maligna humorum putredine occaſionem habeant, neutra enim harum ad quietem peruenit febre uacantem. Oribaſius appoſitè exemplum adfert de uiro, qui iter facere caballo milliaria centum uelit. Et ſi uoluerit duobus diebus continuis id abſoluere iter, nimium fatigabit caballum. Si uero uno die permēſus fuerit quinquaginta, & interiecto die quieuerit, tertia die ualidius iterat alia quinquaginta. Sic natura ſe habet in iſtis febribꝰ, quæ ſi die intermiſſo, aut intermiſſis aliquot pauſauerint, tunc & natura quieſcit, & ægrum nutrire magis poteſt, ut ualidior fiat, & uirtutes nō deficiant. Vnde tertiana etiam prolixior minus cum periculo eſt.

Quartana quoq; quis ex natura ſit mala, tamen quia duos dies interpollatos habet, quo amplius protrahitur, eo magis ſine periculo eſt.

Febres ſi longæ fuerint, ijs tubercula uel labores in articulis fiunt. 4.44. NOTA non ſemper uerum id eſſe, ſed magna ex parte. Nam propter multitudinē, uel craſſitudinem, uel frigiditatem humorum efficientium febres, in longum tempus morbi extenduntur, cum longum exigant tempus ad coctionem. Par eſt igitur tubercula fieri & ad articulos ſuperfluitatem decumbere. Per labores autem intellexeris uel dolores uel læſionem.

Febre non intermittente ſi labrum uel oculus uel naſus uel ſupercilium peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. 4.49. Partium fiunt peruerſiones, extenſis atq; cōtractis his qui ad ſua principia nerui pertingunt. Extenduntur autem uel propter inflammationes, uel duros tumores, aut ſiccitates, aut immodicas frigiditates.

In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & ſitim habeat, letale eſt. 4.48. NOTA particulas huius ſermonis (non intermittentibus) obmittendas eſſe. Videntur ſiquidem ſolis in febribus accidere, quæ cauſones ab incendio nominātur pernicioſis, uel ſi aliter libeat appellare ualde malignis, ueluti lipyrijs. Cauſa uero huius talis exiſtit, quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, uel Eryſipelas euenerint, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, atq; ideo uruntur profunda, ſed cutis refrigeratur, ut fit in principijs acceſſionum. NOTA repeti ſermonem hunc incaſſum lib. 7. Apho. 68. uanis quibuſdam adiectionibus. Quæ cum Galeno diſpliceant conſulto à nobis etiam negliguntur.

In febre non intermittente ſi difficultas ſpirandi & deliri um acciderit, letale. 4.50. Hæc periculoſa ſunt febre conti nua adiuncta. Nam ſemper cum tali fieri cõſueuerunt, quare & hic NOTABIS non intermittens, non adponendum eſſe neceſſario.

In febribus abſceſſus qui ad primas iudicationes non ſol uunt, longitudinem morbi ſignificant. 4.51. Abundantiam enim ſignificat humoris, quia tanta fuit humoris copia, ut abſceſſum moueret, quum ægritudo permaneret. Oribaſius.

In febribus uel in alijs morbis qui ſponte illachrymãtur, nihil abſurdũ, qui uero nõ ſponte, abſurdius. 4.52. NOTA ſcribendum eſſe abſurdum & non abſurdius. Debilitas aũt quædam oſtenditur potentiæ contentiuæ, ſi quis ita lachrymas fundat ſine oculi proprio affectu quopiam infeſtante. Sponte lachrymantur homines Oribaſio dicente, ut ſi quis uiſitans hominem fingat ſibi dolorem, ut plangat ſponte, uel ſi affectus corde lachrymas emittat. Quibus autem inuitis erumpunt, ſignificant cerebrum eſſe infectum, & ideo malum eſt.

In febribus quibus circa dentes quidam lentores naſcuntur, ijs fortes fiunt febres. 4.53. Neq; enim naſci poſſunt huiuſcemodi lentores ſine caloris multitudine pituitoſiorem humiditatem exiccante.

In febribus ardentibus, quibus plurimũ ſiccæ tuſſes leuiter irritantes fiunt, non multum ſiti infeſtantur. 4.54. Quia ob tuſſim & cõmotionem ex locis uicinis humor aliquis attrahitur, ſic autem & ſi ſola fuerit intemperatura. Oribaſius. Febrientes, inquit, ideo tuſſiunt, quia anhelant, & dum quærunt attrahere aërem frigus nimium ingreditur, & facit tuſſiculam, & ex ipſo aëre temperatur ſitis, quæ eſt in aſpera ar teria & in pulmonibus. Quoties enim in pulmonibus tuſſis fuerit, & bibant ægri, extenduntur uiſcera, & opprimitur

aſpera arteria, aer uero qui ingredi debebat non ingreditur, & plus excitatur tuſſis & ſitis. Sed quæras. Quare dicit pluri mæ & modicæ tuſſiculæ? Plurimæ, eò quòd ſint aſſiduæ. Modicæ, quia ex faucibus ſunt, & non ex altitudine corporis. Altera eſt ſitis quæ naſcitur in ſtomacho, & illam extinguit potus, quia fit ex uehementi calore hepatis & uentris, quo ingreditur potus qui ſitim temperat.

Febres omnes malæ ex inguinum tumoribus, præter diarias. 4.55. Quia alij tumores inguinum qui ſine cauſa manifeſta fiunt, fit ueriſimile ex uiſcerum inflāmationibus fieri, atq; ideo febres quæ unà eueniunt ſunt malæ. Oribaſius inquirens cauſam. Quia, inquit, tribus modis læditur natura, uno quòd fluxus ſit humoris, alio quòd locus debilis, tertio quòd febris.

Febre ſuperueniente ijs qui à conuulſione, aut diſtentione neruorum tenentur, laborantur. 4.58. Quære, Conuulſioni febrem ſuperuenire.

A febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio. 4.58. Fit enim rigor ob flauam bilem, quæ per membra ſentientia ueloci motu defertur, poſt quem uidelicet & alui ſoluuntur, & ſudores, & uomitus biliosi ſuperueniunt. Bilæ igitur ex qua febris ardens habuit ortum expurgata, ſoluitur febris. Nam ardētem febrem fieri nouimus, quando æſtiuo tempore uenæ exiccatæ, acres, ac bilioſos ad ſe liquores attraxerint li. 4, Apho. 1. De Rat. Vic. in morb. acut.

In febribus ardentibus qui tremores fiunt, delirio ſoluuntur. Quære, Delirio ſoluuntur.

Febris tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod tempus longiſſimum eſt, iudicatur. 4.59. Hæc enim eſt ſui ipſius naturam puram ſeruans atq; ſynceram. Seruat autem ubi flauam bilem habet ſuperabundantem, et motam, et præterea tempus æſtiuum, & locum calidum ac ſiccum, & hominis ætatem

nis ætatem, & temperaturam, ſtatim in tali tertiana acceſſio fieret unà cũ rigore, & ſolutio eius per ſudores, uel per uomitũ, aut per aluũ flaua bile euacuata, uel oĩbus iſtis pariter factis, nec unquã extra duodecim horas ſuam acceſſionem protendet, & in ſeptem circuitibus iudicatur. Quod enim in continuis una dies poteſt, hoc intermittentibus acceſſio.

In febribus quibus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum. 4. 60. Repetit hanc ſententiam lib. 4. Apho. 28. Quod ſi bilioſa excrementa retineantur & ad caput recurrant, talem ſolui ſurditatem, ſi aluus turbetur. Soluit hanc & profluuium ſanguinis è naribus, eam ſcilicet quæ fit in febribus abſque ulla propria & præcipua inſtrumenti auditus paſſione, hoc enim modo euacuantur uel tranſmutantur noxij humores.

Febricitantem niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet recidiuare. 4. 61. NOTA hunc Aphoriſmum aut eſſe ſuppoſititium, aut pro dictione imparibus eſſe reponendum iudicatorijs. Siquidem in præſagijs dierum iudicantium incrementa ſupputat fieri in quaternis, & in hoc ipſo libro Aphoriſmorum. In Epidemijs quoque multos uidit iudicatos in 14. 20. 40. 60. & 80. Ipſi uero iudicant & 24. & 34. & 80. & ab initio protinus quarta.

Febricitantibus morbus regius obueniens ante diem ſeptimum, malum. 4. 62. Vide Regium morbum.

Febribus quotidie rigoribus factis, quotidie febres ſoluuntur. 4. 63. Rigores accidunt cum bilis mouetur per omnem corporis habitum, quare ſingulis acceſſionibus expurgatur atque euacuatur. Vnde uult tales ægrotos quotidie ſine febre fieri. Et quemadmodum ſi quotidie rigores fiunt, quotidie etiã febres ceſſant, ita ſi & per tertium diem uel etiam per quartum, in tertianis & quartanis circuitibus, febres ſoluuntur & rurſus redeunt. Remanet tamen quædã diſpoſitio

præter

præter naturam in corpore, à qua ſecundum circuitum & aliæ febres & ægritudines generantur.

In febribus circa uentriculum & fortis æſtus, & cordis morſus, malum. 4.65. Cor hic appellat os uentriculi. Fortis autem uentriculi æſtus à flaua bile in ipſius tunicis ebulientè generatur. Rationabiliter autem his qui ita affecti ſunt & uentriculi mordetur os, atq; ob id malus eſt caſus.

Cor.

In febribus acutis conuulſiones, & circa uiſcera dolores fortes, malum. 4. 66. Febres equidem uehementes, ueluti ignis neruos exiccantes eos extendunt, atq; conuellunt, & propter hoc malas afferunt conuulſiones. Nonnunq; uero et uiſcera ipſa in tali affectu dolorem ſentiunt, propter incendij uehementiam ac ſiccitatem.

Cõuulſio.

In febribus ex ſomnis timores, uel conuulſiones malum. 4.67. Hoc uidetur contingere quando in ſomnis ad cerebrũ humor infeſtus peruenerit, unde ſomni ipſum replentes aggrauant cerebrum. Si igitur ea multitudo magis ad atræ bilis naturã uergit, timores fiunt, ſed ſi talis nõ fuerit, labores & conuulſiones. Et ſomni ſemper nocerent, quatenus ad profundum & uiſcera materia fluit, niſi coctionis ratione plus afferrent utilitatis q̃ ſit damnum quod ex motu ad interiora conſequitur. Non ſolum autem in cerebro ipſo mali humores aceruati, tales afferunt caſus, ſed & in ipſo ore uentriculi, quare & in ſomnis magis euaporant, cum incocti permaneant, ſicuti coctiones utiles ſomnos inducunt.

Somnus.

In febribus ſpiritus offendens, malum. 6.68. Reſpiratio offendit quãdo in medio ſui interruptus ſubſtiterit. Etenim fit mouentibus thoracem muſculis ac neruis iam conuulſioni paratis, qua diſpoſitione inſuper aucta & plures occupante partes, manifeſta conuulſio hominem apprehendet. Offendit aũt ſpiritus aliquando inſpirantibus, ſicuti cum ipſe dicit; Duplex intra reuocatio uelut adſpiratio. Aliquando

expirantibus

expirãtibus, ſicuti cũ dicit. Spiritus offendit extra delatus, Hic uero de toto ꝓnunciat, dicens: Spiritus offendens, ſiue in motu ad intra, ſiue ad extra, ſiue ad utraq; tale qd patiaẽ.

In febre quicunq; euomunt ſanguinem, malum, ſi uero ſine febre, ſalutare. Curare uero aſtringentibus & refrigerantibus. 7. 37. Si itaq; ſine febre id fiat, liquet nullam adeſſe inflammationem in loco unde emittitur ſanguis. Quare uel alicuius uaſis ore adaperto fit ſanguinis uomitus, uel cum ulcere quidem, ſed ſine inflammatione, & curantur abſq; inflammatione ulcera aſtringentibus facile. Quæcunq; uero cum inflammatione ſunt ac febribus neq; curari poſſunt, neq; in eadem magnitudine permanere, ſemper enim maiora fiunt ac maligniora.

Si febris non ex bile habeat multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit febris. 7. 43. Hippocrati hic ſermo fit de febribus abſq; partium inflammatione. Vbi enim inflammatio febrem accendebat, ueteres tales morbos, aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut iecinoris, aut lienis nominabant, uolentes febrem non eſſe morbum ipſum, ſed accidens morbi. In quibus autem ſine partis inflammatione, qui in uenis putrent humores febrem accendũt, in illis ſolis dicebant hominẽ à febre moleſtari, & ipſum à febre haberi. Febres itaq; quæ ab exuſtiõe ac frigiditate factæ ſunt, aqua calida capiti ſuperinfuſa ſoluuntur, & nihilominus quæ ex laſſitudinibus fiunt, & quæ propter foraminum anguſtationem, ſiue propter obſtructionem, ſiue ob clauſuram fuerint anguſtata, reſpirare ſiquidem per ipſa oportet, & diſſolui calorem febrilem. Non tamen ubi inflammatio aliqua, aut abſq; inflãmatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ utiles ſunt anteq̃ noxij humores euacuenẽ, aut concoquantur. Per bilem autem & rufam & atram intellige, atq; adhæc & pituitam quæ putreſcens febrem accen

dat, pituitæ eñ putrefactio in humorem biliofum cõuertit.

Febricitanti cibum ſi quis dederit, ut ſano robur ſic laborantí morbus.7.62. NOTABIS etiam hunc Aphoriſmum ad hoc quod κακόξηλον nominatur recedere,neq; enim prope accedit ad Hippo.interpretationem. Qui autem hũc appoſuit, male æmulãdo exprimere uoluit quod alibi dicit. Non pura corpora quanto magis nutries,magis lædes.Et ſi ex morbo cibum aſſumens aliquis non corroboratur, ſignificat corpus pluri uti nutrimento. Abſurde aũt dixit: Cibum ipſum robur eſſe ſanis,morbum laborantibus,qui neq; robur eſt,ſed roboris effectiuus,neq; morbus, ſed morbi effectiuus, uel auctificus.

Famem ſoluit potus. Vide,Potu facilius eſt repleri quàm cibo.

Fames corpora ſiccat. Quære,Humidas carnes.

Non fames,non ſatietas, neq; aliud quicq; quod modum naturæ exceſſerit.2.4. Nam cum ſanitas moderantia quædam ſit, neceſſe eſt omnes immoderantias quæ plurimum à modo receſſerunt iam ægritudines eſſe, quæ uero nondũ id quod plurimũ obtinent,ægritudinũ generationẽ oſtendere.

Fames ubicunq; fuerit,laborandum nõ eſt.2.16. Eſt hoc loci ſermo cõmunis ad ægros & ſanos. Sanis enim non ſunt præcipienda exercitia ſimul cum inedia,neq; etiam ægris aliquis uehementior motus corpori adhibendus unà cum cibi abſtinentia. Neq; ſanguinem mittere oportet,neq; citare uomitum,neq; purgare,neq; multa uti frictione, neq; in uniuerſum aliquo forti motu,uel corporis alteratione. In talibus ſiquidem motibus omnibus, ubi cibus defuturus ſit, uires diſſoluuntur,ſiue ægrotent, ſiue etiã ſani ſint homines. *Potentia gubernãs animal.* Vbiq; enim Hippo. magnum ſtudium habet ſeruare fortem eam quæ regit animalia potentiam.

Faſtidium cibi & deiectiones ſinceræ in morbo diuturno,malum

no, malum. 7. 6. Quære, Decoctiones ſynceras

Fauces ubi ægrotant, aut tubercula naſcũtur in corpore, *Tubercula*
excretiões inſpicere oportet. Nam ſi biliosæ fuerint, corpus *in corpore*
unà ægrotat. Si uero ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire. 2. 15. Si quod deeſt adiungatur, erit uniuerſa oratio huiuſce modi. Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, inſpicere excretiones oportet. Si enim bilioſæ fuerint, corpus unà ægrotat, necꝫ tutum eſt ipſum nutrire, ſi uero ſimiles ſanis, necꝫ corpus unà ægrotat, & tutum eſt ipſum nutrire. Animalium ſiquidem natura nonnunꝙ ex principalibus membris humores malos euacuans alios per urinas, uel uomitus, uel aluum inferiorem excernit, quoſdam uero extra trudit ad cutem, & cum non poſſit euacuare propter ipſorum craſſitudinem, ibi reponit, atꝙ hoc modo tubercula naſcuntur in corpore. Sæpius & fauces ex capite fluentes humores ſuſcipientes infeſtantur. Tunc cõſiderandũ eſt, nunquid natura totam reponat patientibus partibus ſuperfluitatem, an adhuc etiã corpus uitioſis humoribus ſuperabundet, quod excrementa indicabunt.

Fluxa ſunt facienda corpora quæ quis uelit purgare. Quære, Purganda corpora.

Frigidum adfert conuulſiones, diſtentiones, liuores, rigores febriles. 5 17. Sicut enim non oportet neruorum ſubſtantiam ab immodico calore diſſolui, ſic necꝫ ultra modum conuenientem refrigerari, & in unum cogi, ac cohiberi.

Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ. Calidum uero utile. 5. 18. Partes natura frigidiores, quæ ſcilicet ſunt exangues penitus, citius ac magis ab immodico frigidi uſu offenduntur. Iiſdem autem rationabiliter calidum conuenientius.

Refrigerata excalefacere oportet, exceptis ijs quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt. 5. 19. Affectus qui ex frigore

accíderint calefaciendos docet, illos uero quí ſanguinem profundunt præcipit non calefaciendos. Nimirum quía in his quibus ſanguis fluit, calor magis aperit & relaxat.

Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem in ſuperabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuul ſiones, diſtentiones. 5. 20. Quod mordax futurum ſit, eius quod morderi debeat ſubſtantiam oportet peruadere, quod in cute ſecundum naturam ſe habente frigida aqua non poteſt efficere. In ulceratis uero ut quæ rariora ſunt peruadere po teſt per eorum ſubſtantiam in profundo ſubintrans. Dolorem efficit inſuppurabilem, natiuum refrigerando calorem qui ulcera ad ſuppurationem perducit, & ea difflari prohibet quæ dolorem efficiunt.

Frigidæ aquæ perfuſio diſtentionem ſine ulceratione in iuuene bene carnoſo æſtate media calorē reuocat. Quære, Aquæ frigidæ perfuſionem.

Frigidi nocumenta. Quære in Calido ſuppuratorio.

Frigido utendum in his unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, nō ad ipſa, ſed circa ipſa unde influit, & quæcunque inflāmatiōes uel inflāmina ad rubrū & ſubcruentū ſanguine recēti tendunt, nam ueteribus nigredinē affert. Eryſipelas etiam

Inflāmina non ulceratum iuuat, nam exulceratum lædit. 5. 23. non ad ipſa. Vlceribus enim frigidum mordax. Inflammina nomi nat ueluti ab aliqua deuſta flāma propter humorū à quibus fiunt caliditatem. Nam & hæc frigido gaudent. Videntur autem hæc omnia intuenti calore rubra & ſubcruēta recen ti ſcilicet, & non antiquo ſuffuſa ſanguine. Nam ſanguis an tiquus floridum non habet colorem. Quare frigido admo to huic tali liuere, & nigras fieri cōtingit partes patientes. De Eryſipelate diximus in Eryſipelate non ulcerato.

Frigida qualis nix & glacies pectori inimica, tuſſes mo uent & ſanguinem & deſtillationes. 5. 24. Hæ tanto magis lædunt

lædunt q̃ aqua frigida, quanto ſunt aqua frigida frigidiores, & quòd thoracis partibus ſunt inimiciſſimæ.

Frigus extremarum partium in morbis acutis, malum, lib.7.Apho.1. Acuti morbi cum fuerint ſine magna inflammatione non modo extrema non frigeſcere, ſed exuri contingit. Cum uero inflammationis calor adeo uehemens fuerit, ut ad ſe trahat per modum cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem, his qui ita ſe habent uiſcera peruruntur. Extremæ autem partes frigeſcunt propter defectum ſanguinis ad uiſcera ſe recipientis.

Frigiditas partium extremarum in forti dolore uentris, malum.7.26. Fit hæc frigiditas ob magnitudinem inflammationis in uiſceribus. 2, propter animæ defectum, 3. quia calor natiuus extinguitur. 4. quia propter multitudinem ſtrangulatur. 5. propter dolorem uehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſe ipſam contrahitur, & ad eam conſequitur ſanguis non ſolũ extremas corporis partes derelinquens, ueluti pedes, & manus, & caput, ſed & cutem uniuerſam,

Frontis uena incidenda dolente parte poſteriore capitis, 5.68. Quære, Capitis partem poſteriorem.

Furor ſignificatur, quibuſcunq; mulieribus ad mammas ſanguis colligitur.5.40. Quando ſanguis ad mammas fertur, ab adenibus qui inibi ſunt in lac tranſmutatur. Quando autem intranſmutabilis manſerit, furorem ait Hippo. ſignificari. Ego quidem nunq̃ hoc accidiſſe uidi, inquit Galenus, & ſi quando eueniat, ex his eſt quæ raro eueniunt. Cũ itaq; plurimus ſanguis feruens per totum labitur corpus, & caput præcipue petit in furorem uertetur. Qui uero ad mammas defertur ad cõtrariam naturã alterari nõ poterit, ita ut lac fiat tum ꝓpter mordacitatẽ, tum propter exuperantiã. *Adenes mammarũ*

Furorem quære in maniacis.

A' furore difficultas inteſtinorum, uel aqua intercus, uel mentis alienatio,bonum.7. 5. Quia à capite noxij humores transferuntur ad inferiora. NOTABIS tamen alibi Hipp. uehementem furorē alienationem mentis nominare, quæ itaq; non erit furoris ſolutio, ſed potius incrementum.

GAngrenam quære in Cerebro ſphacelato.

Genuum grauitas per inferiora purgando. 4. 20. Vide lumborum grauitatem.

Genitura humidior, minus ſanum ſignificat. 6. 2. Vide, Nares natura humidiores.

Genam diſciſſam non coaleſcere. Quære in Oſſe diſciſſo.

Gibboſi cur ſint ſenes. Vide in Corporis magnitudine.

Gibbi qui ex Aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur.6.46.Neq; enim uult in his thorax unà cum alijs deinceps augeri,atq; ideo magna anguſtia premuntur ea quæ reſpirationi obſeruiunt inſtrumenta. Quando igitur pulmo unà cum corde in talibus augeatur, locus autem continens minor efficiatur, neq; coſtæ augeantur, & inter fle-ctendum propter gibboſitatem thoracem faciant anguſtio-rem,neceſſarium eſt tantam in breui tempore fieri anhelitus difficultatem,ut homo corrumpatur.

Graciles non tam cito intereūt uti qui natura admodum ſunt craſſi. 2.44. Quære,Craſſos admodum natura.

Graciles & facile uomentes magis purgare ſuperius, cauentes hyemem. 4. 6. Magna enim ex parte graciles ſunt biliosi. Si igitur hoc acceſſerit,ut ſint ad uomendum faciles, ſunt p ſuperiora purgandi,niſi obſiſtat hyems. Quia æſtate magis ſuperiores, hyeme aūt inferiores purgare oportet.

Grauidæ ſunt medicādæ, ſi materia turget quarto menſe, & uſq; ad ſeptimum, ſed has minus. Iuniora autem & ſeniora uereri oportet.4. 1. A' primo uſq; ad quartum menſem,

& à ſeptimo uſq; ad nonum purgationem prohibet, ſed in medio iubet. Quia ſubtilis eſt adhuc ipſa ſeminis coagulatio. In medio autem iam ueluti confirmatum eſt ſemen. In ultimo autem prohibet, quia quantitas aucta eſt, & uenæ & arteriæ ſunt plenæ, eſt & uterus nimium repletus, ut ſi uel graues odores ſenſerint ipſa ſubſtantia deponat. Oribaſius. Repetitur hic ſermo lib. 5. Apho. 29.

Grauidam capi ab aliquo morbo acuto, letale eſt. 5. 30. Accidit autem aliquando hũc morbum habere febrem continuam, & in hoc eſt duplex periculum. Vnum quidem propter febrem ipſam, fœtum occidentem, alterum uero quod ex longo interuallo cibum dantes ex alimenti defectu fœtum deſtruemus. Si uero ut ſeruemus hunc, non uerebimur crebro cibum exhibere, febres continuas uictu intempeſtiuo augentes mulierem grauidã occidemus. Si uero acutus ſit morbus abſq; febre, ut Conuulſio, Apoplexia, Epilepſia, propter magnitudinem morbi & acutiem impoſſibilẽ eſt laborantem euadere.

Grauida ſanguine miſſo ex uena abortit, & magis ſi fœtus ſit maior. 5. 31. Ex defectu alimenti. Idem periculum ſubit ex longiori inedia. Et maior fœtus magis deſtruitur, quia plurimo indiget alimento.

Grauidæ ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt ne aboriat. 5. 34. Ratione euacuationis periculum abortus imminet, quemadmodum & ſuperiori Aphoriſmo in miſſione ſanguinis ex uena oſtenſum eſt.

Grauida, ſi mammæ graciles repente fiant, abortit. 5. 37. Ex defectu alimenti fœtus. Cõmunes enim quædam uenæ ſunt mammis ac utero, quæ ubi parum habuerĩt ſanguinis, graciles mammas oſtendunt, inedia uero nonnunq; fœtum perimunt, nonnunq; uero ad excretionem excitant. Alimentum pro nutricatione matris & infantis non eſt ſufficiens,

cum fœtus auctus fuerit,& decem mẽſes prætererint. Plus enim tum cibi requirens quám illud quod adeſt,calcitrat & membranas diſrumpit, initium partus matri adfert.

Grauidæ,ſi altera mamma gracilis fiat,geminos habenti alterum abortit, & ſiquidem mamma dextra gracilis fiat marem,ſi uero ſiniſtra,fœminam. 5.38. Ex illa pendet opinione, qua mares quidem in dextris,fœminas uero in ſiniſtris magis concipi aſſeritur. De qua plura adduximus in Commentarijs noſtris ſuper Gal. lib. 6. de Locis Affectis.

Grauida ſi in utero habeat Eryſipelas,letale.5.43. Ex neceſſitate moriturum fœtum manifeſtum eſt. Siquidem & febres acutæ aliquando ſine inflãmatione ipſum interficiunt. Si uero & utero inflammationem patiente, poſſit aliquãdo fœtus uiuere,dignum inquiſitione.

Grauidæ ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat,ſi uero mammæ ſolidæ fuerint,fœtum ſignificant ſaniorem. 5. 52. Non ab initio fluit,neq; enim in primis generatur menſibus. Effluit autem oppletis uenis communibus quæ à mammis pertingunt ad uteros, tunc enim plurimum lactis colligitur in mammis, & adhuc magis implentur quando minimum conceptus abſumit. Hoc uero fit ob eiuſdem conceptus imbecillitatem.

Grauidæ quæcunq; à febribus corripiuntur,& fortiter caleſiunt ſine occaſione manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur. 5. 55. Aceruati in his uitioſi in corpore humores, febrem accendunt, non potentibus medicis mulieri grauidæ aliquod forte auxilium adhibere,neq; exquiſita uictus ratione in ipſis uti, quare febris in ipſis frequenter reuertitur. Vnde abortiunt, cum & fœtus ipſe longo tempore laborauerit. Nam ad bonum partum duorum corporum uigore eſt opus, & grauidæ mulieris & infantis.

Grauidæ

Grauidæ ſi purgationes eant menſtruæ impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. 5.60. Si non ſit paucus ille qui excernitur ſanguis, neq; ſemel, ſed ſæpius purgetur, ſemel aut bis & paucus excretus ſine periculo eſt. Si uero nihil deficit multitudini purgationis mẽſtruorum, fœtus neutiq; ſanus erit. Siquidem ille qui fortis eſt fœtus ad ſui alimentum utitur illo qui ex toto corpore ad uteros fertur. Verum excretio quæ fit grauidis, uidetur ex uenis quæ in collo ſunt apparere. Nam ab interioribus quæ in cauitate uteri ſunt, ſecundæ pẽdent, quare nihil per illas poteſt in muliebrẽ ſinũ excerni.

Grauidã iudicabis, ſi cui ceſſent purgationes, neq; febris neq; rigor ſuperueniat, & faſtidia incidãt. 5.61. Fit faſtidiũ eadẽ qua pica ratione læſo ore uentriculi in mulieribus grauidis. Contingit aũt & propter uitioſos humores totum corpus occupãtes tale aliquid accidere, uerum hoc cum horrore & febre patiuntur, & his diſtinguuntur à grauidis. *Faſtidium*

Grauidæ ſi tineſmus, id eſt tentio ſuperuenerit, facit aborſum. 7.27. Hæc paſſio nomen accepit ab illa quæ fit in ea tentione ob quam cum exonerare uentrem uehementer appetant continuè exurgunt, ob quam moleſtiam totum corpus laborat, ſed præ cæteris uterus qui cognatus eſt recto inteſtino. Ab omnibus autem fortibus motibus atq; doloribus mulieres grauidæ ſolent abortire. *Tentio.*

HAbitus ſummæ bonitatis. Quære Athletarũ habitum.

Halycæ, id eſt anxietudo, oſcitatio, horror, uinum æquale æquali potum ſoluit ægritudinem. 7.56. Fuêre qui Halen appellauerunt, dicuntq; ἀλύειν, id eſt anxietudinem habere illos ſanos, qui ſemper præſentibus moleſtantur, & ab uno negotio atq; actione ad aliud tranſeunt. Accidit quando in ore uentriculi humoris aliqua propria qualitas continetur, uentriculo moleſta, quæ neq; plurima eſt, neq; *Hale.*

in uentriculi fluitat cauitate,ſed eam ipſæ imbibere tunicæ. Sed & oſcitationes & pandiculationes, per contenta aliqua in muſculis,uel humiditate flatuoſa, uel ſpiritu uaporoſo,fiunt. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Hæc ſingula potus uini ſanat, ſit autem uinum æquale æquali potum, aqua enim uult uinum æqua portione temperari,ut hæc quidem pellat & euacuet ex materia infeſtante quicquid ceſſerit uini motui,cum impetu lati, reliquum uero temperet. Calefacit enim uinum, ut nouimus, corpus totum, & cito mouetur ad omnes partes, cum hoc quòd omnes humores optimos reddit.

Vini nobilitas.

Hæmorrhoides Melancholicis,aut renum paſſione laborantibus ſuperuenientes,bonũ.6.11. Quære Bilem atram.

Ab Hæmorrhoidibus diuturnis ſanato, ſi una non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutem uel tabem aduenire. 6.12. Fiunt enim Hæmorrhoides propter multitudinem & craſſitudinem ſanguinis ora uenarum ani aperientis, iecinore ad ipſas reponẽte feculentum ſanguinẽ & melancholicũ. Si quis igitur ei hoc intercludat iter,unà & duriciem in iocinore faciet & ſimul multitudine grauans,ac craſſitudine calorem in ipſo natiuum extinguet, quo extincto non generabitur amplius ſanguis,& tunc neceſſario fiet aqua intercus. Si uero aliquando poſſit iecur propellere multitudinem ad uenas pulmonis, hic uaſe aliquo rupto tabidi fiunt. Vna uero hæmorrhoide ſeruata, per hanc euacuetur feculenta ac uicioſa materia iocinoris, præſertim in quibus ſolita eſt tempore longo per tales uenas excerni.

Hæmorrhoides uel uarices ſuperuenientes ſoluunt inſaniam.6.21. Hic inſaniam illam quæ proprie Melancholia dicitur,uocat,non illum qui fit ex bile furorem. Varix aũt eſt cum uenæ latiores fiunt in coxis & cruribus, quod ex craſſo & melancholico humore cõtingit,adeo quòd pellente

Inſania. Melancholia. Varices.

natura

natura ad partes ignobiliores eos qui inſaniam efficiunt humores,& præſertim cum melãcholici fuerint,ac craſſi dictarum paſſionum ſequitur generatio, & inſaniæ ſolutio.

In hepatis inflammatione ſingultus malum.7.17.fit hoc non in omni hepatis inflammatione,ſed quando ad magnitudinem attollitur,feruente inflammatione,in quo feruore ſtomachus ad compaſſionem trahitur nonnunquam communium neruorum ratione qui ſunt breuiſſimi. Oportet adeſſe bilem ſatis calidam & multam in iecoris inflammatione genitam, ac confluentem ad inteſtinorum principium, atque ita ſuperfluitante,atque ad uentriculum recurrente contingit os eius morderi,atque ideo ſingultire.

Hepar ſuppuratum ſi aduritur,& pus purum fluxerit,& album,euadunt. In tunica enim his pus continetur, ſi uero qualis amurca fluat pereunt.7.45.Quibus enim in tunica eſt pus nihil patiente iocinoris ſubſtantia,ſaluantur omnes, quibus uero uſque ad carnem iecoris corruptio pertingit,moriuntur. Incocta autem putredo hepatis eſt ueluti amurca, quam Græci ἀμοργὴν appellant,fecem olei. ἀμοργὴ.

Hepar circundolentibus febris ſuperueniens ſoluit dolorem.7.53.Dolente uidelicet hepate mediocriter & cum quodam ponderis ſenſu potius quam uehementis doloris.

Hepar quibus aqua plenum in Omentum eruperit, his uenter aqua repletur & moriuntur. 7. 56. Aptiſſimum hepar eſt inquit Galenus. Hydatidas id eſt ueſicas aqua plenas in ea quæ ipſum ambit externis membrana generare. Hydatis. Videtur itaque in iugulatis animalibus aliquando plenum. Si enim tunc contingat ueſicas aquoſas rumpi, effunditur aqua ad locum mẽbranæ abdominis interioris,Epigaſtrio, hoc eſt parti ſupra uentrem poſitæ reſpondentem, in qua etiam aqua hydropicorum congregatur. Non autem de illo uentre dicit,in quo cibi recipiuntur, ſed de tota cauitate Venter.

quæ eſt infra thoracem,ſecundum quod ſignificatũ uentroſi nominantur, & mulieres dicuntur geſtare uentrem. NOTABIS tamen his non eſſe omnibus moriendum, Curari enim ſic & hydropici poſſunt per medicamenta purgantia aquoſitates, & prætereà per Epithemata, hoc eſt impoſitiones eorum quæ uim habent ciendi urinam, & in uapores ſoluendi humorem talem.

Curatio hydropis.

Hepar diſciſſum, quære in Veſica diſciſſa.

Helleboro qui nõ facile ſupra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo atq; quiete ſunt humectanda. 4. 13. Qui difficulter ſoluuntur, non ſunt ad pharmaca ducendi, anteq̃ præparetur. Hoc etiam fieret ſi per continuos uomitus adſueſcat is qui eſt ſumpturus helleborum ad promptè uomendum. Melius autem fiet prius humectando corpora. Quies autem ſeruat humiditatem, ſicuti exercitia natura exiccant. Cibus uero non ſimpliciter plenior eſt aptus natura humectare, ſed quicunq; nullam habet fortem qualitatem, hoc eſt neq; acerbam, neq; acrem, neq; ſalſam, neq; amarã. Fortaſſis ergo, quod eſt ANNOTANDVM, melius ſubſtitueretur in præſenti ſermone, Cibus medicinalis, qui ſolidas animalis partes humectare poſſit, natura propria per ſe & non ex ſolo accidenti, adhibita uidelicet quiete. Aqua uero neq; pota, neq; extrinſecus occurſans apta eſt ſolidas animalis partes humectare. Huc faciunt quæ ſcribuntur ſuper Aphoriſmum. Purganda corpora prius ſunt fluxa facienda.

Quies.

Cibus.

Aqua.

Helleborum quum biberit aliquis, ad motiones quidem corporũ ducere magis, ad ſomnos uero atq; quietem minus. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus. 4. 14. Quies enim in eodem ſtatu conſeruat, motus uero tranſmutat atq; alterat corpus, ut indicat nauigatio, quæ motus quidem eſt. Turbat autem corpora adeo ut excitet uomitum.

Quare

Quare ſi motus etiam uomitorio medicamento coniungatur, longe maiorem efficaciam habebit.

Helleborum ſi uelis magis ducere, moue corpus, cum uero ſiſtere, ſomnum facito, & non moueto. 4. 15. Docet hic quomodo ſiſtere purgationem conueniat, uidelicet per contraria his quæ uomitum cient. Si igitur motiones ciebant, ſiſtent quietes, & multo magis ſomnus, in quo motus animales otiantur, qui & per ſenſus fiũt, & præterea per muſculos in motibus qui fiunt ex appetitu. Quies. Somnus.

Helleborus periculoſus eſt carnes ſanas habentibus, facit enim conuulſionem. 4. 16. Conuulſionem ex inanitione facit helleborus, quia deſiccat muſculos, & neruorum humectationem conſumit. Et tale quid naturæ accidit, quale corio quod perfuſum eſt, ſi ad Solem uel ignem poſitum eſt, deſiccatur enim & contrahitur. Oribaſius.

Horror à ſudore, non bonum. 7. 4. Iudicatoria enim quæ non iudicant partim mortalia, partim male iudicantia ſunt. Quoniam natura in huiuſcemodi diſpoſitionibus morbo ſuccumbit.

Hydropicis ulcera in corpore facta difficulter ſanantur. 6. 8. Neq; enim prius ad cicatricem perducuntur ulcera quam ſufficienter exiccentur, hoc aũt non facile fieri in his quos aqua intercus male habet, ob humiditatis immoderantiam.

In hydropem ſiccum firmatur, quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter ſoluitur. 4. 11. Tormina fiunt propter ſpiritum flatuoſum, qui non habet exitum, ſed in inteſtinorum inuolucris eſt interceptus, quod ſi circa umbilicum ac lumbos ſe firmauerint, & adſit illarum partium habitualis intẽperatura, ea hydropem ſiccam (qui morbus à neotericis Tympanias uocatur, quoniam ſummus uenter percuſſus talem ſonum edit qualem tympana) efficit. Tympanias.

Hydrops hypoſarcius (Hippo. appellat albam pituitam) ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, ſoluitur. 7.29. Commune enim hoc eſt ad multa alia quæ ſimiliter ab ipſo dicta ſunt.

Hydrops ſuperuenit à pituita alba. 7.70. Quibus in uaſis & in totius corporis habitu pituita alba fuerit aceruata, his hydrops Leucophlegmatias ab alba pituita nomẽ habens, ſuperuenit.

Hydropicis tuſſis ſuperueniens malum. 6. 35. Adſerendum eſt hoc ſi tuſſis ipſius hydropis ratione & non ex alia occaſiõe fiat. Cum enim in paſſione tali aquoſa humiditas tantum adaucta fuerit, ut iam aſperas occupet arterias, deinde ſuperuenit tuſſis, periculũ imminet, ne homo haud ita multo poſt ſtranguletur. Repetitur idem Aphoriſmus lib. 7. Aphor. 48.

Hydropici tympanitici (uentoſos uocat Hippocrates) non multum fiunt, qui regio morbo laborant. 5.72. Hi eñ qui propter pituitoſum humorem uentoſi ſunt, contrarij ſunt regio morbo laborantibus, qui ex bile accidit.

Hydropicis ſi aqua per uenas in uentrem defluxerit ſoluitur morbus. 6.14. Nam ut Oribaſius exponit Hydrops fit ex repletione, ſi autem aquæ deriuatio fiat, & aqua ad uentrem per uenas redeat, ſoluitur affectio.

Hydropici aut ſuppurati quicunq; uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua uniuerſim effluxerit, omnes moriunt̃. 6.27. Suppurati ſunt qui pus habent in ſpacio inter thoracem atq; pulmonem. Vrebantur olim tales, ubi deſperatum erat per ſpuitiones hos poſſe expurgari, cogente ad id etiam anhelitus difficultate ob loci anguſtiam. Paracenteſes autem illæ id eſt perforationes in hydropicis frequentiores ſunt in hydrope. In his periculoſa eſt uniuerſa euacuatio, cum è ueſtigio deficiat anima, & uires debilitẽtur, & poſtea debilitas

Paracenteſis.

iſta

iſta remedium non habet. Propter magnam enim diſtentionem corporum, & puris acritudinem ora quorundam uaſorum arterioſorũ uidentur eſſe aperta, quæ prius ueluti operculũ pus cõtinebant, quo uniuerſim euacuato, multũ ſpiritꝰ unà cum ipſo effluit, unde periclitantur. In hydrope eadem ratio militat, ad hæc accedit durities uiſceris, ut quod non ſuſtentatur ab aquoſa ſubſtantia, & ſeptum tranſuerſum deorſum trahit, & uiſcera quæ ſunt in thorace.

Hyems uictum copioſiorem exigit. 1. 15.

Hyems ſi fuerit ſicca & aquilonia, uer uero pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas, & lippitudines (Græci Ophthalmias uocant) & inteſtinorum difficultates, præcipuè uero mulieribus & uiris qui ſunt natura humidiores. 3. 11. Aeſtate enim ſuffocatio repentè ſuperuenit, & terra madida ex pluuijs uernalibus eſt & ab Auſtro, unde neceſſe eſt æſtum duplicari & à terra madidi & calente & à Sole comburente, non conſtantibus hominum uentribus, necꝫ exiccato cerebro. Necꝫ enim poſſibilè eſt tali uere exiſtente non inflammari corpus ac carnem, unde febres accidunt acutiſſimæ præcipuè pituitoſis. Non aũt in uere morbi illi uulgantur, quoniam anteceſſit hyems frigida ac ſicca. Corpus aũt ſiccũ per hyemem, cuius ſicca & aquilonia fuit temperatura, nõ modo nihil ex uernis pluuijs patietur, ſed potius aliqua ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem, ſi uer mediocriter pluuioſum fuerit. Si uero totum uer humidum fuerit, ad contrariam ducetur corpus conſtitutionem illi, quæ ipſi prius inerat ſiccæ, tranſcendens illam quæ medium tenet mediocritatem. Quare æſtas ſubſequens paratum excipiet offenſioni, cum terra adhuc humecta ſit, atcꝫ ob hanc cauſam ſuffocationem efficiet. Quoniam febres acutæ propter caliditatem & humiditatem, humoribus in corpore putreſcentibus ingruent. Lippitudines Lippitudines.

ferè

ferè omnes infeſtabunt repleto capite, quibuſdam exceptis quibus oculi ſunt præualidi. Dyſenteria quoq; graſſabitur, tota enim humida diſpoſitio damnatur, eò quòd putredinem magis adducit, & hæc ipſa humidiores magis afficit. Ipſum ſiquidem humidum quod in noſtris putret corporibus, quædam ueluti materia eſt à ui caloris patiens. humiditas uero ambientis aëris, quatenus exiccari humorem non ſinit humorum in corpore ſuperabundãtiam, eatenus adiuuat uim putrefacientem. Manente itaq; putredine in corpore febres fiunt. Si uero per uentrem euacuetur, difficultates inteſtinorum. Durabunt hæc mala per totam æſtatem, niſi, ut teſtatur De aquis, aëre & locis, ſi ſuperuenerit circa Canis exortum aqua & hyberna tempeſtas, & Eteſiæ perflauerint, tunc enim ſpes eſt quietis, & quòd Autumnus futurus ſit ſalubris. Alioqui periculum eſt ne pueri moriantur, & mulieres minime uero ſeniores; & ne qui euaſerint, in quartanam finiant, & ipſa quartana in aquam intercutem terminetur.

Difficultas inteſtinorũ

Hyems uero ſi auſtralis & pluuioſa & ſerena fuerit, Ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad uer ex quacunq; occaſione abortiunt. Quæ uero parient, imbecillos & morbidos infantes pariunt. Quare uel ſtatim intereunt, uel tenues & ualitudinarij. Cæteris uero mortalibus difficultates inteſtinorum & lippitudines ſiccæ fiunt. Senioribus autem deſtillationes quæ cito interimunt. Manardus uir ſanè q̃ eruditus ſolidis argumentis lib. 1. Epiſt. 2. & rurſus lib. 9. Epiſt. 1. conuincit dictionem ſerenam Græce εὔδιον non ab Hippocrate eſſe huic Aphoriſmo adiectam. Neq; enim hanc appoſuit ubi eundem locum tractat in lib. De aquis, aëre & locis. Neq; Ariſtoteles nono problemate ſectionis primæ, ubi cauſam ꝓquirit eorum quæ in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate dicta ſunt. Neq; Cornelius Celſus

bonus

bonus Hippocratis interpres lib. 2. cap. 2. ubi ad uerbum hunc Aphoriſmum tranſcripſit,& interpretatus eſt. Fides demum Græci codicis non parum confirmat hanc ſententiam, qui primum ab exemplari Demetrij Chalcondylis uiri doctiſſimi tranſſumptus eſt, in quo ſic ſcribitur. ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γίνεται. Vbi patet duo tantum nec plura epitheta, ſcilicet auſtralis & pluuioſæ hyemi eſſe appoſita. Galenus quoq; primum Epidemiorum librum enarrãs hunc Aphoriſmum uti nunc recitauimus affert,nulla adiecta uocula,per quam uel tranquillum,uel ſerenum,uel tepidum poſſit intelligi. ita enim interpretantur dictiunculam ἔνδιος. Idem Galenus in Cõmentarijs ſuis cauſam Aphoriſmi reddit talem. Mulieres,dicens,abortiunt. Corpora ſiquidem humida ac mollia & laxa facta hyeme, ad intimas ſui partes,aëris ambientis frigiditatem facile admittunt: ita quòd qui infantes lõgo tempore calori ſunt aſſueti, percuſſi uehementer à frigore non abſq; cauſa hi quidem iam mortui in ipſo utero ſunt,hi uero in ipſo partu moriuntur. Qui uero uiui in lucem eduntur non ferentes ſubitam ad contrarium tranſmutationem, uel breui poſt tempore moriuntur, uel exiles atq; inſalubres creati, uix in uita perdurant. Pituitoſis uero & mulieribus dyſenteriæ accidunt. Quia pituita immodica à capite ad uentrem defluit,pituita enim plurima in dicta conſtitutione generatur hyeme quidem capite repleto, ſubito autem refrigerato circa ueris initia,quoniam cerebrum natura aptum eſt ad generandas pituitoſas ſuperfluitates. Cum enim refrigeratur, non poteſt alimentum conuincere. Quæ itaq; à forti fit frigiditate,acida euadit. Quæ *Pituita* uero à caliditate replente caput, ſalſa. Sicut & quæ à pauca *acida.* fit frigiditate,uel paucam habet dulcedinem uel nullam ma *Salſa.* nifeſtam qualitatem. Quæ igitur pituita fit in præſenti con *Inſipida.* ſtitutione, propter eam quæ eſt in hyeme caliditatem, ſalſa

erit: & hac ratione maximè difficultatem inteſtinorum generabit, quando longiori tempori mordens atq; abradens inteſtinum offenderit. Calidis uero & bilioſis lippitudines ſiccæ accidunt, quia caput prius repletum fuit in calida atq; humida conſtitutione, iam uero per frigiditatem exprimentem multi generantur morbi in his mēbris quæ facilia ſunt ad patiendum, atq; his qui oculos habent natura imbecilles lippitudines accidunt: è quibus nihil effluit propter aëris ambientis frigiditatem denſantis ſuperficiem exteriorem. Deſtillationes, propter raritatem & uenarum colliquationem, ita quòd repente interimit, quoſdam uero contingit dextra aut ſiniſtra parte ſtupidos fieri. Neq; intelligas eas ſolas deſtillationes, quæ ex capite fluunt ad pulmonem per aſperam arteriam: ſed omnes quæ feruntur fluctiones per uenas à capite ad partes inferiores, quæ uelociter terminantur, alteræ autem priores perdurant.

Lippitudo

Hyeme qui bene degant. Quære, Aeſtate prima &c.

Hyeme fiunt morbi laterales, pulmonis inflammationes, grauedines, raucedines, tuſſes, dolores pectoris & laterum atq; lumborum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ. 3. 23. Laterum & pulmonis. Quoniam inſtrumenta reſpirationi ſeruientia ex frigiditate læduntur, licet alia ita poſſimus obtegere, ut parum ſentiant ambientem frigiditatem, anhelitum autem nemo poteſt continere, neq; aliter datur reſpirandi facultas. Fiunt autem ſicuti dolores laterum ob frigiditatem, ſic & capitis atq; lumborum & omnium partium neruoſarum, uertigines quoq; cerebri læſiones conſequuntur, ſicut apoplexiæ, nam & hæc paſſio fit cum caput repletur pituita.

Hyeme uentres inferiores, æſtate ſuperiores magis medicandi ſunt. 4. 4. Quære, Aeſtate ſuperiores &c.

Humidas carnes habētibus corporibus, famem adhibere

conuenit,

conuenit. fames enim corpora ſiccat. 7. 59. Si enim aliquid defluit à corpore, non amplius autem ab alimento ſuppleatur id quod fuerit euacuatum, neceſſarium eſt hoc modo corpus fieri ſiccius. Prius equidem illæ partes abſumuntur quæcunq; ſunt humidiores, quando & ipſe defluxus idcirco fit, quia quæ ſunt in corpore extenuantur, atq; in uapores reſoluuntur. Idq; ex duplici cauſa, extrinſecus quidem ab aëre ambiente, intus uero à calore natiuo.

Humidæ temperaturæ nocumenta. Quære, Nares quibus natura.

ICtericum morbum, quære in morbo regio.

In ictu capitis obſtupeſcentiā. Quære in Capitis ictu.

Iecur quære in hepate.

Ieiunium facillimè ferunt ſenes, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, omnium minime pueri præſertim qui inter ipſos ſunt uiuidiores. 4. 13. Cauſam huius reddit in Aphoriſmo ſequenti. Ventres hyeme & uere natura calidiſſimi ſunt & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, unde & pluribus egent nutrimentis, indicio ſunt ætates & athletæ. NOTABIS tamen ſenes facillimè ieiunium ferre, in his qui ſunt in principio ſenilis ætatis, recte dictum eſt. In his uero qui ad extremam ſenectam peruenerunt, non recte, quia neq; hi poſſunt tolerare longas inedias. Tale enim quid patiuntur, quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei ſuffectionem, multam tamen & ſubitam ſimul nequeunt ſuſtinere. Sic & his exhibere oportet uniuerſam multitudinē paucam, & hanc ipſam cibi paucitatē in multas partiri portiones, neq; una illis longa inedia eſt iniungenda. *Senes.*

Ignem ſacrum, quære in Eryſipelate.

I 2 Ileos

Ileos ſi ex ſtillicidio urinæ ſuperuenerit in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente ſatis urina fluxerit. 7. 44. Fuerunt qui opinarentur quod ueſica inflammata anguſtia loci facta, ex compreſſione in inteſtinis paſſionem adferat quæ Ileos nominatur. Sed melius eſt multitudinem humorum crudorum unà cum multa frigiditate talium in Ileo caſuum arbitrari cauſam. NOTABIS ergo Galenum hūc Aphoriſmum non probare, neq; enim ratio huius indicat ueritatem, neq; experientia docet, neq; ad fidem faciendam quicq; eſt in promptu, ſit ne uiſus talis ægrotus aut ab Hippocrate, aut ab aliquo alio.

Ab Ileo uomitus, ſingultus, deſipientia, cōuulſio, malum. 7. 10. Quære conuulſionem ab Ileo.

Ilia ſuſpenſa quibus murmurant, lumborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proueniat, hæc uero in febribus. 4. 73. Manardus lib. 8. Epiſt. ulti. non probat hyponchondria latine transferri per ilia, præcordia potius erat reddendum. Murmur autem appellat ſonum ſpiritus, cūm neq; magnus neq; multus extiterit, cum quadam modica humiditate ad inferiora motus. Cumq; tale murmur deſcenderit ad lumborum loca, præcordiorum tumorem facit, unde partibus quæ hic ſunt ex ipſo diſtentis prouenit dolor, quo pacto humore ad corpus diſtributo, ſolus ſpiritus flatuoſus emittitur, nonnunq; uero unà cum humore, & quidem humor diſtributus magna ex parte per urinas excernitur. Accidunt autem hæc in febribus non ex inflammatione alicuius membri factis, quas ſolas ueteres appellabant febres.

Præcordia

Febris appellatio apud ueteres.

Indicatiui dies. 2. Apho. 24. Quære in Criticis diebus.

Inchoantibus morbis ſi quid mouendum uidetur moue, cum uero conſiſtunt ac uigent, melius eſt quietem habere. 2. 29. Hunc Aphoriſmum opponere illi fortaſſis Notho.

Concocta

Concocta medicamentis purganda et mouenda non cruda. Hic uero iubet in principio mouēdum, ſi quid mouendū eſt. Et hoc per alium ſequentem probat, quia uidelicet circa principia omnia ſunt imbecilliora. Raro tamen dicit faciendum hoc, cum id crebrius facere liceat. Nam ut Galeni uerbis utar, docetur hic ab initio morborum ſalubrium purgationem eſſe faciēdam, ut minorem iam factam materiam natura ualeat facilius concoquere. Ex quibus uerbis & nomen & rem ipſam ſumpſiſſe uidentur recentiores, purgationis quam ab initio febrium putridarum faciunt. Quòd aūt ab Aphoriſmi ſententia liceat recedere, ſi ſaltem ab Hippocrate eſt promulgata, ea ſcilicet quæ incipit, Concocta medicare &c. in cauſa eſt, quòd quoties Hippocrates de purgatorio medicamento mentionem habet, de his intelligendus eſt, quæ ipſe in uſu habebat, quæ & ualde calida erant, & ſua calida ui corpora uehementius exagitantia quodammodo facerabant. Quod uel ex Elaterij nomine licet agnoſcere, quòd latine Agitatorium dici poteſt, quo nomine nō ſolum in cucumeris agreſtis ſucco, ſed in omni purgante medicamine utebantur. At quum noſtris temporibus inuenta ſint multa, quæ uel frigida ſunt, uel modice calida, qualia ſunt Siliquæ Aegyptiæ interiora, Siliqua uirens adhuc tenera condita, mel aërium, quod mannam uocamus, dactyli Indi, quos Tamarindos uocant, roſatum & uiolarum ſuccus, uel aqua in qua maduerint. Quæ non dixeris ab Hippocrate ſimul cum calidis illis ſuis & acribus uetita, quum ab eo fuerint uel penitus ignorata, uel inter purgatoria minime computata. Manardus lib. 13. Epiſt. 1.

Minoratio ex Galeno habet originem.

Elaterij.

Manardꝰ

Inediam ex faſtidio, malum in Dyſenteria, Quære Dyſenteriam.

Infantibus & nuper natis puerulis cōtingunt oris ulcera (quæ Aphthæ uocantur) uomitus, tuſſes, uigiliæ, pauores,

umbilici inflammationes, aurium humiditates. 3. 24. Aphthas ob molliciem oris & palati quæ lactis qualitatem ſuſtinere non poſſunt, quod non paruam in ſe continet ſeroſam partem. Hæc autem pars in ſe uim habet abſtergēdi. Quare non mirum ſi in corporibus mollibus quaſdam per ſumma facit exulcerationes. Vomitus, propter lactis quod aſſumunt multitudinem. NOTA uigilias non eſſe infantium proprias, niſi ob aliquem affectum accidant, ut qui maiori parte temporis dormiant. Pauores per ſomnum adſunt, his præſertim qui natura ſunt edaciores, quando loca ad uentriculum pertinentia ſenſu quidem uigeant, ſed imbecillia exiſtant, cibus uero corrumpitur. Vmbilici, utpote non multo antea præciſi, non ſecus ac ſi qua alia pars foret ulcerata. Aurium humiditates. Eſt enim totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidum, adeo quòd & oſſium natura potius cerea quàm lapidea uideatur. Præ cæteris uero partibus cerebrum humidum exiſtit, ut quòd etiam in perfectis talem habeat intemperaturam, unde ſuperfluitates per omnia excernuntur foramina.

Aphthæ.
Serum.

Infantibus cum iam adoleuerint, accidunt Tonſillæ & uertebræ, quæ in occipitio ad interiora luxationes, cerebri anhelitus, quos Græci aſthmata uocant, calculi, lumbrici rotundi, Aſcarides, uerrucæ, quas Græci Acrochórdonas uocant, ſatyriæ ſtrumæ, & alia tubercula, ſed præcipuè antedicta. 3. 26. horum terminum & finem præſcribit Galenus 12. & 13. annum.

Infantibus cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulſiones, alui profluuia, & maxime cum caninos edunt dentes, & his præſertim pueris qui ſunt craſſiſſimi & aluos duras habent. 3. 25. Ad pubertatem autem iam accedentibus plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia ſanguinis. 3 27.

Inflam-

Inflammina, quære, Frigido utendum.

Inſaniam ſoluunt uarices ſuperuenientes. 6. 21. Quære Hæmorrhoides uel uarices &c.

Inteſtinorum difficultatem, quære in Dyſenteria.

Inteſtinorum aliquod diſcindi, letale. 6. 18. Quære ueſicam diſciſſam.

Inteſtinorum difficultas à deiectione ſyncera malum. 7. 23. Quære deiectionem ſynceram.

Inteſtinorum leuitas Dyſenteriæ ſuperueniens. Quære à Dyſenteria leuitas inteſtinorum.

Inteſtinorum longis leuitatibus, ſi ructus acidus fiat qui prius non erat, ſignum bonum. 6. 1. ὀξυρεγμίαν hoc eſt ructum acidum non ſimpliciter dixit in leuitatibus inteſtinorum eſſe ſignum bonum, ſed in longis leuitatibus. Quæ enim à pituita uentriculum refrigerante fiunt leuitates inteſtinorum ſemper cum ipſis ſunt acidi ructus ut caſus. Illis autem in quibus neq; incipiunt concoqui cibi, neq; ex pituita fiunt, non inſunt acidi ructus, quod ſi aliquando fiant, ſignificant tantum aliquando tempus cibum in uentriculo retineri, ut principium mutationis accipiant & naturam ſuorum operum reminiſci.

Inteſtinorum leuitate laborantibus, hyberno tempore ſupra purgari, malum. 4. 12. Sola eñ euomi natura apta ſunt quæ in uentriculo continenť. Eorum uero quæ continentur in inteſtinis, nihil poteſt per uomitum euacuari.

Inteſtino recto, aut utero inflammationem patiente, urinæ ſtillicidium accidit, ac renibus purulentis urinæ aduenit ſtillicidium, iecinori autem inflammationem patienti ſingultus aduenit. 5. 58. In recto inteſtino & utero patiẽte fit ſtillicidium per compatiendi rationem ueſica patiente. In renibus aũt purulentis pure per ueſicam euacuato, quod ſui acritudine mordens ueſicam excitat ad excretionem.

Iudicia.

Iudiciarios dies, quære in Criticis diebus.

Senum morbi ſunt Aſthma, id eſt creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenetides, Ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates inteſtinorum, leuitates inteſtinorum, hæmorrhoides. 3. 30.

Iuuenibus aũt ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, ſed præcipuè iam dicti. 3. 29.

Iuuenibus ſeniores plurimum ægrotant minus. Qui uero morbi ipſis accidunt longi maxima ex parte comitantur ad mortem. 2. 39. Intelligendi ſenes qui non habent circa uictum continentiam, ſunt enim iuuenibus debiliores. Et uis eorum eſt imbecillis, quæ neq; morbos facile coquere poſſit, & omnes morbi diuturni frigidi ſunt. Vnde ſenibus quàm iuuenibus potius accidunt.

KRiſin ſexti diei, quære in Febricitantibus quibus ſexto die rigores fiunt.

Kriticos reliquos dies, quære in Iudiciarijs diebus.

LAborem ſomnus faciens in aliquo morbo, mortale. Si uero iuuat non mortale. 2. 1. Labor hic ſignificat læſionem. In principijs autem acceſſionum, calor naturalis totus & humores in profundum corporis uergunt, præcipuè in quibus horror uel rigor uel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. & propterea ſi in principijs dormierint, caſus illis protenduntur & uix febres ad conſiſtentiam perueniunt. Si qua uero inflammatio ſit circa uiſcera, rationabile fit ipſam augeri, & ſi humores aliqui ad uentrem confluant, non æquè atq; in alijs ſomnijs concoquuntur, ſed plures incocti permanent. Vigiliæ igitur maximum auxilium præbent aduerſus illam quæ fit in acceſſionum principijs ſanguinis, ſpiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionem.

Huiuſce-

Huiuſmodi igitur læſiones hoc tempore accidunt ex natura acceſſionis,& ex uigilia prohibentur. Qua ægrotantes priuati damnum ſentiunt manifeſtius,non quia altera læſio accedat ex ſomno, ſed quia deeſt illa quæ ex uigilia habetur utilitas.

Laborans particula uel ante uel poſt morbum, abſceſſu corripietur. Quære, Abſceſſus hic fiunt.

Labores ſtatim extremos habet morbus peracutus, & extreme tenuiſſimo uictu utendum eſt. Vbi uero non,ſed pleniorem uictum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbus extremis eſt mollior. 1.7. Melius eñ eſt naturam permittere uacare circa morbi coctionem morbo in ſuo uigore conſiſtente, neq; diſtrahere ipſam ad cibos recenter aſſumptos conficiendos. Qua ratione non licet ſtatim ab initio ſemper afferre tenuiſſimũ uictum. Nam prius homo moreretur ꝙ morbus in uigore conſiſteret. Sed minus tenui utendum eſt & pauló pleniori, ut melicrato, & tantum poteris à tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit,hoc eſt à uigore ſummo. Hoc enim proximo exiſtente, pauló pleniorem uictum afferemus, longius uero diſtante,plus,& quanto tardiorem fore ſummũ morbi uigorem expectabimus,tantũ uictus figuram cõmutabim9.

Laborare ubi quis in quouis motu corporis cœperit,qes ſtatim laſſitudinem aufert. 2.48. Laborare dolere ſignificat & fatigari. Siue autem membra iam doleant ex multitudine motionũ, ſiue ſint fatigata, ut uix iam agere aliquid poſſint,quies ſtatim laſſitudinem aufert. *Laborare.*

Labores cõſuetos,quære in cõſuetis ſolitos labores ferre.

Lac habens mulier quæ neq; grauida eſt, neq; peperit, huic menſtrua defecerunt. 5.39. Quando alimentum defertur ad mammas multum, lactis etiam multum generatur. Plus uero defertur octauo & nono menſe conceptionis,

quando abundãter oppletæ ſunt communes uenæ mammarum & uteri. Fit aũt & tale raro quandoq; cũ mulier grauida non eſt, quando ad ſimilem peruenerint uenæ repletionem, ex menſtruorum retentione, cuius diſpoſitionis Hippocrates nunc meminit.

Lac dare caput dolentibus malũ, malum uero & febricitantibus, & quibus ilia ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis, malum etiam quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones, & quibus ſanguinis multi facta eſt deiectio. Conuenit aũt & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, & præter rationem conſumptis. 5. 64. Caput dolentibus, ut Oribaſius inquit, lac addit dolorem dum fuerit in ſtomacho, quia uapor ad cerebrum perueniens extendit neruos. Febricitantibus uero contrarium eſt, quia calor calorem auget. Quibus præcordia ſuſpenſa murmurant (nam & ſuperius adnotauimus, hypochondria transferenda eſſe potius præcordiam quàm ilia, quod & Oribaſius hic agnoſcit) malum eſt lac, quia uapor ubi detentus fuerit, tumorem facit. Sitibundis excitat ſitim. In deiectionibus bilioſis, per lac maior fit relaxatio. In ſanguinis profluuio nocet. Quia debilitatur natura, & non ualet concoquere, & uires reprimit, & ubi deſederit, magis aggrauat. Tabidis conducit, ut ea quæ extenuata ſunt, per lactis copiam reparentur. Item in longa febre, ubi iam tabefactus ſit æger præter rationem, lac offerat medicus, ſed coquatur prius cum lente & farre, ut qualitas lactis cum qualitatę ægroti operando nõ lædat, ſed potius reperatio fiat.

Lachrymantes ſponte, quære in litera F, in Febribus uel alijs morbis &c.

Laſſitudinem aufert quies, quære, Laborare ubi &c.

Laſſitudines ſpontaneæ morbos prænunciant. 2. 5. Quum

Quum abſq; motu talis euenerit diſpoſitio, non ſimpliciter laſſitudo, ſed ſpontanea laſſitudo nominatur, & ſunt tres. Prima quæ ulcerum, ſecunda quæ tentionis, tertia quæ inflammationis ſenſum habet & quæ ex iſtis componitur. Prima ex uitiatis humoribus ortum habet. Secunda ex plenitudine. Tertia ex utriſq; ſimul coniunctis. Quare non temere ſpontaneæ laſſitudines morbos annunciant. *Tres laſſitudines ſpõtaneæ ſpecies.*

Laſſitudinem habentibus in febribus in articulos, et circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. 4. 31. Hoc contingit propter eam quæ eſt in febribus caliditatem, relata multitudine ad caput, mox inde ſuſcipientibus illis qui circa maxillas adenes exiſtũt, ſicuti qui circa inguina & alas ſunt, quando ad illas partes multitudo peruenerit.

Laterali morbo laborantes, ſi in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem uertuntur. 5. 8. Repurgationem uocat eam quæ fit per ſputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem. Suppurationem uero appellat eam quæ fit ad pus tranſmutationem, aut eam quæ fit inter thoracem & pulmonem puris effuſionem. Fit enim utrunq; horum quando pleuritide laborantes non expurgantur per ſputa.

Laterali morbo ſuppurati, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberantur. Si uero non, ad tabem tranſeunt. 5. 15. In ſpacio enim thoracis atq; pulmonis intermedio pus cõtinetur, quod niſi in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per ſpuitiones purgati, neceſſarium eſt pulmonem exedi, pure proceſſu temporis putreſcente.

Laterum & pectoris atq; aliarum partium dolores, ſi multum differant perdiſcendum eſt. 6. 5. Oribaſius an multum infeſtent, tranſtulit. Conſiderandum aũt eſſe hoc propter modum curationis adhibendæ. Nam poteſt fieri ut ſit quiſquam pleuriticus, & doleat illi pectus atq; latera, propter

diaphragma, quod uicinum & coniunctum eſt Epizocoti membranæ, & hunc curabimus eadem ratione qua pleuriticum. Item fieri poteſt ut ſit tumor in concauitatibus pectoris & doleat pectus & non ſit pleuriticus. Debet ergo ſemper medicus affectionem cognoſcere, ut ſic poſſit peculiare præſidium adhibere.

Laterali morbo uel Pulmoniæ alui profluuiū aduenienſ, malum. 6, 16. Non enim tunc iecur poteſt ad ſe trahere alimentum, neq; conuertere in ſanguinem, & quandoq; uentriculo idem alimentum corrumpente.

A laterali morbo inflammatio pulmonis malum. 7. 11. Quando eñ non poteſt is morbū qui facit lateralē in coſtis humor cōtineri, pars eius aliqua ad pulmonē fertur. Ad inflāmationem quidem pulmonis pleuritis non admodum ſequi ſolet. Quoniam ſi mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per ſputum expurgatur, in pernicioſis uero, anteq; coſtæ patiantur, ſtrangulat ægrum.

Leucophlegmatia fit à pituita alba. 7, 70. Quære, Hydrops ſuperuenit.

Lienteriam, quære in Inteſtinorum leuitate.

Lienoſi qui à difficultate inteſtinorum capiuntur, ijs ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum aqua intercus aut leuitas inteſtinorum aduenit & moriuntur. 6, 43. Quia huiuſmodi euacuationes ſæpius ultra modum extenduntur. læſis igitur inteſtinis à tranſitu uitioſorum humorum, & uis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur, ob hanc cauſam & aqua intercus & leuitas inteſtinorum ſuperueniunt. Leuitas inteſtinorum ex læſione inteſtinorum. Aqua intercus propter iecinoris compaſſionem atq; lienis & omnis uenoſi generis. NOTABIS hunc aphoriſmum licet conciſum libro 6. Apho. 48. ſine cauſa à coccyge quopiam eſſe repetitum.

Linguam

Linguam repentè factam incontinentem, quære in Melancholico.

Lippientem alui profluuio corripi, bonum. 6. 17. Quia humorum abundantia ſimul euacuatur atq; ad inferiora retrahitur. In quo medici naturā imitari debent, nempe in lippientibus, aluū & clyſteribus & purgationib9 ſubducendo.

Lumborum dolor, & genuum grauitas purgari inferius oportere ſignificant. 4. 20. Nam pro motione noxiorum humorum facere oportet euacuationes.

MAgnitudinem corporis, quære in Corporis magnitudine.

Mammas mulierum petens ſanguis, furorem ſignificat. 5. 40. Quære Furorem.

Mammæ extenuatæ corruptionem fœtus ſignificant. Quære Grauidas.

Matricem quære in Vtero.

Macros quære in dictione Tenuis.

Mares ſteriles ſunt, aut cum propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur ut ſemen non tranſmutetur ad os, uel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, uel propter frigiditatem non cōcaleſcit, ita ut ad hunc colligatur locū, uel propter caliditatem hoc idem accidit. 5. 63. NOTANDVM hunc Aphoriſmum à Galeno ſuppoſititium iudicari, & non perinde ueritati conſentaneum.

Medicanda concocta. 1. 22. Quære Concocta.

Melancholia unde oriatur. Quære Hæmorrhoides uel uarices.

Melancholicum eſt ſi lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit. 7. 40.

Melancholicum ſignificant timor & triſticia. Quære Bilem atram.

Melancholici non uomant. 4. 9. Quære Atram bilem.

Menſtrua ſuffitus aromatum ducit. Quære; Aromatum ſuffitus.

Menſtrua ſi erumpunt, mulieri ſanguinem euomenti, ſolutio fit. 5. 31. Deriuatio eñ fit, inquit Oribaſius, à loco ſuperiore ad inferiorem per menſtruorum fluxum.

Menſtruis deficiẽtibus ſanguis ex naribus fluens, bonus. 5. 33. Si enim, inquit Oribaſius, non euenerint menſtrua, quæ ſingulis menſibus profluere deberent, & ſanguis è naribus manauerit, bono eſt. Quia ꝗuis ſecundum naturam per menſtrua uidelicet non euacuetur ſanguis, euacuatur tamen per nares.

Menſes ſi mulieri decolores, nec ſemper eodem tempore proueniunt, purgatione opus eſſe ſignificatur. 4. 36. Neqꝫ enim propter humorem pituitoſum tantum, ſed propter melancholicum & bilioſum menſes fiunt decolores. Contingit enim mulieribus quæ malos humores habent non modo decolores apparere menſtruas purgationes, ſed etiam tempus periodi non ſeruari. Siquidem craſſiores fuerint humores & difficilius fluentes his qui ſecundum naturam ſe habent morando & longius tempus expectando. Si uero contrarij, hoc eſt humidiores, ac tenuiores conſuetum terminum anticipando.

Menſtrua defecerunt, ubi lac habet in mammis mulier. 5. 39. Quære, Lac habens mulier.

Menſtrua ſi uelis mulieri cohibere, cucurbitulam ꝗ maximam ad mammas appone. 5. 50. Melius autem inquit Galenus, non ad ipſas mammas, ſed ſub ipſis partibus inferioribus firmare cucurbitulam, ubi maximæ ſunt hæ quæ ad ipſas uenæ deſubter ueniunt. Facit enim fortem ex utero ad ſuperiora attractionem.

In fluxu muliebri ſi cõuulſio & animi defectus aduenerit, malum.

malum.5.56. Defectus quidem animi communis omnis im modicæ euacuationis eſt caſus. Conuulſio uero & ſi non cõmunis exiſtat, ad plures tamen ex ipſis conſequitur, & ma gis ſi pars quæ patitur neruoſa fuerit.

Menſtrua ſi plura fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant, ex utero morbi contingunt. 5.57. Nam ſi immodice fiant, ut uerbis Oribaſij utar, erunt ægritudines, quia multum debilitatur corpus. Si autem non fluxerint, ex matrice ſignificat fore ægritudinem, cuius uenæ clauſæ ſunt, aut ex craſſa materia, aut ex tumore acetabulorum, quæ faciunt redundare ſanguinem menſtrualem per totum corpus, ex quo gignuntur ægritudines.

Menſtruis euntibus in grauida, fœtum impoſſibile eſt eſſe ſanum. Quære, Grauidæ ſi purgationes eant.

Menſtruæ purgationes ſi mulieri ceſſent, neq; febris, neq; rigor ſuperueniat, & faſtidia incidant, iudica ipſam in utero habere. 5.61. Hoc mulieres experientia didicêre. Cum eñ faſtidium patiũtur menſtruis ſuppreſſis, tunc ſe concepiſſe conijciunt. Fit enim faſtidium læſo ore uentriculi in mulieribus grauidis. Fit etiam propter uitioſos humores totum corpus occupantes, uerum hoc cum horrore & febre patiuntur, quibus diſtinguuntur à grauidis.

Mente conſtare. Quære, Bene ſe habere.

Molles (dolores) boni, crudi (duri) uero mali. 5.67. Neq; enim fieri poteſt, ut ſit tumor crudus, durus & renitens, bene cõcoquente membri natura humores ad ipſum cõfluentes.

Morbos tales plurimum oportet expectare, qualis annus magna ex parte fuerit & qualẽ fecerit conſtitutionem. 3.7.

Morbis extremis, extrema exquiſite remedia optima ſunt. 1.6. Extremos uocat ſummos, ultra quos non ſunt alij, quibus uictum tenuiſſimum docet adhibere. In peracutis enim qui uſq; ad tertiũ in ſummo ſunt uigore uictus tenuiſſimus optimus eſt. Morbus

Morbus peracutus ſtatim extremos habet labores. Quære, Labores ſtatim extremos.

Morbus quando in ſuo uigore conſtiterit, tunc uictu tenuiſſimo utendum eſt. 1.8. Tum propter caſus magnitudinem, tum propter morbi coctionem, neq; enim diſtrahere oportet naturam ad alterā nouam coctionem, cum eo tempore uni humorum noxiorum coctioni fortiter uacet, & haud ita multo poſt ipſos ſit euictura.

Morbus donec conſiſtat coniectari oportet, an æger cum uictu ſufficiat perdurare, & nunquid prius ille deficiat, nec poſſit cum uictu perdurare, uel morbus antea deficiat & hebeteſcat. 1.9. Quod ſi imbecillior uis fuerit, adijciendum erit aliquid uictui, & plenior eſt adhibendus, quantum ſcilicet natura imbecillior expoſtulat. Quo circa aliquādo in ipſo morbi uigore, ubi caſus aliquis interuenerit, robur naturæ diſſoluens, nutrire cogimur.

Morbus quibus ſtatim conſiſtit, his ſtatim tenuis uictus adhibendus eſt, quibus uero poſterius debet conſiſtere, his & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud cibus ſubtrahendus, prius uero uberius agendum, ut æger ſufficiat. 1.10. Eandem ſententiam habet cum priore, niſi quòd eſt uniuerſalior.

Morbi alij ad alia bene uel male ſe habent, & quædam ætates ad tempora & loca & uictus genera. 3.3. Aetates dicit temporibus, regionibus & uictu bene aut male conſiſtere, quia ſi ætatibus hæc apta fuerint, ætates ſe bene habent, ſi autem incommoda uel inconſueta, male. Vides eñ ſeniores laborem non ferre, nec infantulos ieiunium. Oribaſius.

In morbis acutis raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. 1.24. Vide Aphoriſmum Inchoantibus morbis &c̄.

Poſt morbum ſi cibum aſſumens non corroboretur, pluri alimento

alimento corpus uti ſignificatur, quod ſi non aſſumente cibum hoc accidat, ſcire oportet, quod indiget euacuatione. 2.8. Rationem reddit in ſequentibus. Non enim pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

Morbos nunciant laſſitudines. Quære Laſſitudines.

Motus conſuetos. Quære, Conſueti ſolitos labores.

Mulieres craſſæ non concipiunt. Quære, Craſſas præter naturam.

Mulieres utero gerentes, quære in Grauidis.

Moriuntur quidam cum ſudore, quidā abſq; eo. Quære, Cutes aridæ & ſiccæ.

Mens ægrotat his, qui dolentes parte aliqua corporis oīno dolorē non ſentiūt. 2.6. Quære, Dolētes parte aliqua.

Mutationes frigidi, calidi, colorum &c. longos morbos ſignificant. Quære, Color alius ex alio.

Muliebria ducit aromatum ſuffitus. Quære, Aromatum ſuffitus.

Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint. 6.26. Quia mēſtruum eſt purgatio totius corporis. Si uero nō fluxerint, redundat materies humorum in toto corpore, & gignuntur morbi. Aliquando autem craſſa ipſa materies decurrit ad articulos, & fit podagra. Hactenus Oribaſius. Galenus uero hoc inquit fuiſſe uerū olim, quādo parua erāt delicta quæ mulieres admittebant, nunc uero ob eorū magnitudinē quædā podagra laborant anteq; menſtrua deficiant. *Delicta mulierum maiora.*

Mutus ex ebrietate conuulſus repente moritur. 5.5. Quære, Conuulſus qui repente obmutuit.

Muti ſtatim facti, prius ſani dolore capitis repentino correpti, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. 6.51. Cauſam referre oportet imprimis ad ſpiritum flatuoſum. Sed iam & ad influentis uniuerſim materiæ multitudinem, quam & nunc ad cerebrum fuiſſe delatam in

dicant caſus, qui poſt dolorem ſuperuenerunt, per quos & quod ſit quædam materia pituitoſa, quo monſtratur, atq; ic circo febris ſuperueniens ſoluit diſpoſitionem, ut quæ cale‑facit, extenuat, ac diſcutit ſpiritum flatuoſum & pituitoſos humores. Fit hoc nunq; tribus diebus aut quatuor, & pluri‑bus, non tamen ultra dies ſeptem, quia pars eſt principalis. Tales autem partes non diu tolerant fortes ſimul ac diu‑turnas paſſiones.

Mutos ſtatim fieri neceſſe eſt, quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit. 7.58. Quære, Cerebrum aliqua ex cauſa.

NAturæ modum excedens. Quære in litera F, Non fames, non ſatietas.

Natura quo uergit ducendum eſt. 1.21.

Naturarum hæ quidem ad æſtatem, hæ uero ad hyemem bene maleúe ſe habent. 3.2. Ad æſtatem quidem frigidæ & humidæ naturæ optimè afficiuntur. Ad hyemem uero calidæ & ſiccæ. Sicut & male afficiuntur calidæ & ſiccæ ad æſtatem, frigidæ & humidæ ad hyemem.

Narium ſanguinis fluxus bonus in ſuppreſſis menſibus. Quære, Menſtruis deficientibus.

Neruus abſciſus non augetur. Quære, Os diſciſſum.

Neruorum diſtentiones. Quære, Cõuulſio aut diſtentio.

Nimis, naturæ inimicum. 2.51. Quære, Repente.

Nares quibus natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur. Quibus uero contraria ſalubrius degunt. 6.2. Eos enim qui ſunt humidiores ſiue ce‑rebrum tantum, ſiue corpus uniuerſum, non contingit ſalu‑brem uitam omnis expertem noxæ traducere, uerum conti‑nuò deſtillationibus ex parua occaſione capiuntur, & ſi ſu‑perfluitas eis ad inferiora per palatum deſcendat partes ſub

Humidæ tẽperaturæ nocumẽta.

iectæ

ſectæ offenduntur, fauces, guttur, aſperæ arteriæ, pulmo, gula, uentriculus. Vnde in ipſis fiunt tuſſes, difficiles anhelitus, anginæ, cruditates, uentris profluuia, nonnunquam & difficultates inteſtinorum, quando quod deſtillat ſalſum fuerit.

Nutrire quando tutum ſit. Quære, Fauces ubi ægrotant.

Quanto plus nutries non pura corpora, tanto magis lædes. 2. 10. Corrumpitur enim adueniens alimentum corpori malos humores habenti, ita quòd ipſius quidem quantitas augetur, qualitas uero ſeruatur.

Nutrientia uelociter, quære in Excretionibus quæ uelociter fiunt.

OBſtupeſcentia quid ſit, quære in Capitis ictu.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut uenæ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit. 6. 31. In quibus ſangninis copia craſſioris in oculorum uenulis continetur, ſine plethorica in toto corpore diſpoſitione uini potione diffundere ſanguinem ſuadet Galenus atque euacuare potente, & ſui motus uehementia obſtructiones aperire. Fomentum autem ſecurius eſt & omnino aliquam afferẽs utilitatem uel tanquam ſignum ad dignotionem, uel tanquam cauſa ſanitatis oculorum. Quando enim nihil omnino influit in oculos, fomentum diſcutiens eam quæ in ipſis continetur ſuperfluitatem reſtituit. Cum uero adhuc influit, cum primum adhibetur ſuo calore, aliquod affert mediocre leuamen, ſed paulò poſt dolorem auget, & tunc fit ſignum dignoſcitiuum, ex quo nòs diſpoſitionem compræhendentes, ad totius corporis euacuationem peruenimus, ipſo quidem ſanguine redundante, per uenæ ſectionem, ſed malitia humorum infeſtante, per purgationem. Repetitur Aphoriſmus lib. 7. Apho. 46. Vbi Gal. adijcit: Neque uinum neque balneum tolerat Plethorica diſpoſitio, abſque maximo

detrimento. Verum hæc auxilia ſunt ſanguinis craſſi in aliqua parte compacti, ſine totius corporis repletione. Si uero adſit in toto corpore plenitudo, prius diſrumpentur oculorum tunicæ inter bibendum atq; lauandum. Quare ſi abſq; multitudine dolor fiat, propter obſtructionē ac compactionem craſſi ſanguinis, recte quidem lauabunt & uinum dabunt, non recte autem ſedabunt uenam. Si uero multitudo fuerit, recte quidem utentur uenæ ſectione, non recte autem lauabunt & uinum dabunt.

Oculorum in dormientibus conſiderandæ ſunt ſuſpectiones. Nam ſi quid album commiſſis palpebris ſubinſpicitur, neq; ex alui profluuio aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum & letale ualde. 6.52. Aut ob palpebrarum ſiccitatem, aut propter potentiæ ipſas mouentis imbecillitatem aliquid albi ſubinſpicitur oculis non integre clauſis. Accidit idem in purgantibus medicamentis. Nam & totum corpus exiccatur & uires fiunt imbecilles ex talibus euacuationibus, Plus autem ſiccitas in palpebris innoteſcit, quoniam ſunt natura ſiccæ. Sicut ergo corui exiccata difficulter extenduntur, eodem modo & ſimiles corporis particulæ.

Oculorum fluxum, quære in Capitis parte.

Omentum excidens neceſſario putreſcit. 6. 58.

Ophthalmiam, quære in uocabulo Lippi & lippientis.

Oris amaritudo ſignificat purgãdũ eſſe p ſuperiora. 4. 17.

Oſcitatio uino curatur. Quære, Halyce. i. anxietudo.

Oſſis ægrotantis caro liuida malum. 7. 2. In fortibus eñ putrilaginibus liuor circumſtantibus aduenit carnibus, extincto in eis ſcilicet calore natiuo.

In oſſis exutiōe Eryſipelas, malũ. 7. 19. quære Eryſipelas.

In oſſis præciſione deſipientia malum. 7. 24. Non ſimpliciter intelligas quòd oſſe capitis præciſo, ſequatˀ deſipientia,

ſed ſi

ſed ſi præcidatur uſq; ad interiorem ſuperficiem, quam uacuus excipit locus qui cerebrum continet. Nam iam paſſio proxima exiſtit membranis & cerebro. Neq; enim ex alicuius oſſis alterius, neq; eius quod cerebrũ tegit præciſione dementia ſequitur, anteq̃ ad membranas paſſio pertingat.

Os diſciſſum, aut cartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neq; augetur neq; coaleſcit. 6. 19. Augeri uocat talem aliquam generari ſubſtantiam, qualis diſciſſi ſicuti in cauis ulceribus uidetur caro germinare. Coaleſcere aũt quando diſciſſi corporis labra agglutinantur.

PAroxiſmus febrilis eadẽ hora rediens quotidie criſin ſignificat difficilẽ. Quære, Febris quacũq; hora dimiſerit.

Parturiens difficulter, aut quæ uterinis moleſtat̃, ſuperueniens ſternutatio, bonũ. 5. 35. Per uterinas intellige paſſionem quam uocant uterinam ſtrangulationem, quæ tamen non eſt uerè ſtrangulatio, ſed defectus anhelitus. In his autem patiens ſternutatione aliquantulum leuatur, non ſolum quia bonum eſt ſignum ſternutatio ſponte adueniens his quæ ita ſe habent mulieribus, ſed quoniam ut cauſa, ut quæ ſit huius paſſionis remedium Signum bonum exiſtit, quia naturam oſtendit quæ prius erat emortua excitari ac reuiuiſcere, & propriarum meminiſſe motionum quando aliquam eijcit ſuperfluitatem. Cauſa autem ob quam iuuat, & quia uehementiore concuſſu, atq; feruore, partim quidem naturam excitat, partim uero excernit quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Sic & ſingultum ſolet ſanare.

Sternutatio *Singultus.*

Permanere febricitantium corpus non omnino leuiter. Quære, Febricitantium non omnino leuiter.

Pectori inimica frigida. Quære, Frigida qualis nix & glacies.

Peripneumoniam quære in Pulmonum morbis.

Phrenitis à pulmonis inflãmatione, malum. 7. 12. Quan do enim à calido humore fit inflãmatio pulmonis quæ multos uapores tranſmittit ad caput, cerebrum implet uaporibus, & facit phrenitidem.

Phthiſicos quære in tabe.

Phthiſis à puris ſputo, & fluxus, cum uero ſputum retinetur, moriuntur. 7. 16. Fluxum de capillorum defluuio aut de humida dixit deiectione, ambæ enim conſueuerunt euenire, cum tabidi ad extremum mali perducuntur, alterum ex ſiccitate, alterum ex debilitate. Quum uero ſputum detinetur, obſeratur uia ſpiritus, ac patiens ſtrangulatur.

Pingues mulieres non concipiunt. Quære rationem in Aphoriſmo, Craſſæ præter naturam.

Pituitam albam Hippocrates ponit pro Hydropiſi Leucophlegmatia. Vide Hydropiſis hypoſarcica.

Pituita alba qui detinentur ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, à morbo liberantur. 7. 29.

Pituita ex capite defluit ubi in profluuijs alui excrementa ſunt ſpumoſa. 7. 30. Vide Excrementa ſpumoſa in litera E.

Pleuretici ſputum bonum aut malum. Quære in Acceſſionibus & conſtitutionibus.

Pleuritidem quære in Laterum morbo.

Potu facilius eſt impleri, quàm cibis. 2. 11. Per potum Gal. non potum tantum, ſed humida & potum dicit eſſe intelligendum, quæ ſuapte natura apta ſunt nutrire corpus. Superant enim ſolidiora celeritate. Quod uidere licet in uino craſſiori & rubro. plus enim hæc alimenti habent, quàm reliqua uina. Ineſt autem eis & citiſſime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione.

Ex potatione multa, rigor & deſipientia, malum. 7. 7. Quære Deſipientiam.

Podagrici dolores, uere & autumno magna ex parte mouentur.

uentur.7.55. His quibus per æſtatem,tempore quo fructus maturantur, uitioſi aliqui humores fuerint coaceruati.

Podagrici morbi quicunq; fiunt,hi ſedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt. 6.49. Diſcuti enim oportet id quod ad pedes defluxerit,ſiquidem tenuiorem habuerit ſubſtantiam tempore breuiore. ſi uero craſſam,uel tenacem,longiore & lōgius adhuc tempus requiret, ſi ſimul craſſum, atq; etiā tenax illud quod defluxit exiſtit, ultra tamen ſpacium dierum quadraginta non prorogabitur curatio inflāmationis,ſi uidelicet & medicus in ſuo opere non aberrauerit,& æger illi in omnibus obediuerit.

Podagra non laborant eunuchi. Quære, Eunuchi neq; podagra &c.

Podagra nō laborant mulieres, Quære,Mulier podagra non laborat.

Podagricos dolores ſedat aqua frigida. Quære, Dolores abſq; ulcere.

Podagra non laborat puer ante uſum Venereorum.6.30. Quòd magnam uim habeat ad podagræ generationē uſus Venereorum,liquet etiam in pueris & eunuchis. Horum tamen ſi quis tali eſt paſſione correptus, unà & genuum articuli & manuum intumuerūt, inſtar morbi articularis repentè facti à plenitudine ex multis cruditatibus aceruata.

Prænunciationes acutorum morborū non omnino ſunt certæ,aut ſalutis aut mortis. Quære, Acutorū morborum.

Præcordia quære, Ilia ſuſpenſa, & Ilij dolorem abſq; inflammatione.

In profluuijs alui mutationes excremētorum iuuant, niſi ad mala fiat mutatio. Quære,Alui profluuia,

Præpucium diſciſſum.Quære,Os diſciſſum.

Pura minus corpora leduntur nutriendo.Quære in litera N, Quanto plus nutries &c.

Supra

Supra præcordia & infra præcordia dolores quomodo purgandum ſignificent. Quære, Dolores ſupra præcordia.

Purgati medicamentis qui non ſitiunt, non quieſcunt priuſq̃ ſciant. 4.19. Qui calidum habent uentriculum ſtatim ſitiunt in purgationibus. Qui uero frigidum, quando abunde fuerint euacuati, ſimiliter ſitiunt. Sufficiens etenim eſt ea quæ ex euacuatione prouenit ſiccitas hanc efficere, ac præterea ea quæ eſt medicamenti purgantis uis, habentis aliquam, & ſi neq; manifeſtam neq; ſenſibilem, attamen latentem acritudinem ac caliditatem.

Pharmaca omnia calida.

Purgatis ſupra modum ſenibus ſingultus ſuperueniens non bonum. 7.41. Omnibus enim ſupra modum purgatis pernicioſus eſt ſingultus. Senioribus uero omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem.

Pus dum conficitur, dolores fiunt. Quære, Dolores ac febres.

Puris ſputum à ſanguinis ſputo, malum. 7.15. Neq; eñ omne ſputum ſanguinis ſeques habet ſputum purulentum, ſed quod malignum exiſtit, tale autem eſt magna ex parte ex pulmone.

Pus aut aqua ſi uniuerſim effluxerit, quando ſuppurati aut hydropici uruntur aut ſecantur, omnes moriũtur. Quære, Hydropicos aut ſuppuratos.

Puer non laborat podagra. Quære, Podagra nõ laborat.

Puerorum morbi. 3.24.25.26.27. Quære, Infantium morbos.

Pueri mares quidem in dextris, fœminæ uero in ſiniſtris magis. 5.48. Quære, Grauidæ ſi altera mamma.

A' puris ſputo Phthiſis & fluxus, cum uero ſputum retinetur, moriuntur. 7.16. Quære, Phthiſin à puris ſputo.

Pus album & purum fluens quando iecur ſuppuratum aduritur, euadunt, in tunica enim his pus continetur. Si

uero

uero qualis amurca fluit pereunt. 7.45. Quære, Hepar ſuppuratum ſi aduritur.

Purganda corpora oportet fluida facere. 2.9. Et rurſus 7.64. Quære etiam, Helleboro non facile ſupra purgantur.

Puſtulæ latæ non admodum pruriunt. 6.9. Sublimiores ſiquidem puſtulæ atq; tubercula à calidiore humore generantur, humiliores autem à frigidiore. Latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Difflantur enim in latitudinem extentæ, & facientem ipſas humorem minus acrem habent.

A' pulmonia uel morbo laterali habito, alui profluuiū ad ueniens malū. 6.16. Quære, Laterali morbo uel pulmoniæ.

Pus purum & album ſi fluxerit, quando ſuppurati uruntur uel ſecantur, euadunt. Si uero ſubcruentum & feculentum ac fœtidum, pereunt. 7.44. Suppuratos quibus uidelicet inter thoracem atq; pulmonem aceruatum eſt pus, urere conſuetos eſſe ueteres, diſcere licet ex his quæ dixit Plato Comicus de Cineſia, hiſce uerbis. Poſt hæc contionatus filius Euagoræ ex morbo laterali Cineſias aridus puris expers, calamacea gerens crura, tabis propheta, plurimus uſtus Eſcharas ab Euriphonte in corpore.

Plato Comicus. Cineſias pleuriticus uſtus.

Pulmonis inflammatio à morbo laterali, malum. Quære in litera L, A' laterali morbo inflammatio.

QVartana febri laborantes non conuelluntur. Quære, Conuulſionibus non capiuntur.

Quartana ſoluit conuulſiones, Ibidem.

Quartanæ æſtiuæ magna ex parte breues, Autumnales longæ, & maximæ quæ hyemē attingunt. 2.25. Breues ſunt tunc etiam alij morbi. Propterea quòd humores funduntur inutiles, & per totum corpus feruntur atq; diflantur. In quibus igitur uires ualidæ ſunt, noxijs humoribus euacuatis, morbi ceſſant. In quibus uero ſunt imbecilles, unà cum ipſis

euacuatis & ipſæ diſſoluuntur. In hyeme cõtraria eueniunt, & humores intus remanent ueluti latibulis incubantes, & uires ſeruantur robuſtæ. Neq; igitur morbi ſoluuntur manentibus, his qui eos efficiunt humoribus, neq; ægroti moriuntur, uiribus interim ſufficientibus.

Qualitatibus corporis ſæpe mutatis, frigore, calore, colore &c. longitudo morbi ſignificatur. 7.60. Quære, Color alius ex alio &c.

RAtione nulla leuius ſe habentibus, non oportet fidere, neq; multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia ſtabilia nõ ſunt, neq; multum durare & permanere conſueuêre. 2.27. Vt cum morbus inuadit uehemens, mox ſubito quieſcit, neq; per ſudorem, nec uomitum, nec alui excretionem, aut profluuium ſanguinis corpore euacuato, ſed neq; uiſo ſigno coctionis, ſignum infidum exiſtimat talem quietẽ eſſe. Sic qui præter rationem male habeat, tantum abeſt ut malum aliquid ſignificet, quod nõnunq̃ bonũ iudiciũ haud ita multo poſt futuræ enunciat.

Rationi conſentanea facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationẽ, non eſt tranſeundũ ad aliud, ſtante eo quod à principio uiſum eſt. 2.52. Quẽadmodũ eum, inquit Galenus, in gutta ſubiectam petram percutiente uix longo tempore ſenſibilis paſſio in lapide manifeſtatur, ſic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter concoqui poſſunt diſpoſitionibus. In quibus cum recta ratio inuenerit id quod conducit, nõ diſcedit ab illo quod primum faciendum exiſtimauit, & ſi nihil ex facto manifeſtum ſit ſubſequutum.

Raucedines & grauedines in ualde ſenibus coctionem non admittunt. 2.40. Neq; hi ſoli morbi ſenes comitantur ad mortem, ſed nephritis, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori inteſtino ac ſpleni frigidæ

inſunt diſpoſitiones, Aſthmata, tuſſes, gibbi, recuruationes, obliquationes, & alia quæ ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibuſdam iuuenibus multo uero magis in ſenibus difficulter coquuntur.

Repletionis morbos curat euacuatio. & qui ex euacuatione fiunt, curat repletio, & aliorum contrarietas. 2. 22. Quære, Euacuatio curat morbos.

Recidiuas facere conſueuerunt quæ relinquũtur in morbis poſt iudicium. 2. 12. Malorum humorum in morbis reliquias intelligit, quas neceſſarium eſt tempore putreſcentes febres accendere. Siquidem omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, neq; aptus natura eſt ad eius nutritionem, quare relinquitur, ut neceſſario ad putredinem conuertatur. Cum uero & locus calidus erit in quo fuerit collectus, tunc celerrime fit putridus.

Repentè atq; plurimum euacuare uel replere, uel calefacere uel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum. Quoniam omne nimis eſt naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit tutum eſt, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum fit tranſitus. 2. 51. Eſt enim natura in elementorum conſiſtens cómmoderatione, nimium autem omne deſtruit commoderationem.

Regio morbo laborantes non fiunt uentoſi, inflati, tympanitici. 5. 72. Quære, Hydropicos tympaniticos.

Regius morbus in febribus quibus accidit ante diem ſeptimum, malum. 4. 62. Oribaſius reddit rationem talem. Quia non natura ſuperfluitatẽ expulit, ſed quantitas uicit.

Regius morbus quibus in febribus ſeptimo, uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum ilium obduruerit, ſi uero non, non bonum 4. 64. Quia tunc natura ualidior eiecit humorẽ noxium ad ſuperficiem, unde fit iudicatio febris. Morbus enim regius aut ex quali-

tate fit,aut ex quantitate. Ex qualitate, quoties abundans fuerit biliofus humor,& ſurſum tendit. Ex quantitate,quoties tumor fuerit in iecinore, tumor nãq; exprimit fel illud iactatq; ad ſuperficiem. Vnde ſi ex duricia iocinoris regius morbus fiat,bonum eſt, quia relaxatio eſt aliqua. Si enim non fuerit arquatus,maius malum eſt. Oribaſius.

Renum & ueſicæ uitia in ſenioribus difficulter ſanantur. 6.6. Quoniam illorum opus eſt indeſinens. Quiete autem opus eſt ſi quid ſanari debeat. Et quia ſupfluitas aeris apta irritare, ſiue ulcus, ſiue inflammatio, ſiue aliqua alia paſſio in ipſis conſtiterit.

Renum paſſionibus & atra bile uexatis, hæmorrhoides ſuperuenientes,bonum. 6.11. Quære Hæmorrhoides.

Renum uitia,quære in Vrinarum bullis, & deinceps.

Renali morbo laborantibus, ſi bullæ inſideant urinæ, & pingue innatet,doloresq; circa ſpinæ muſculos fiant, ſiquidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoq; exterius futuros expecta, ſi uero dolores magis circa loca interiora fiant etiam abſceſſus expecta futuros interius. 7.36. Duplex autem eſt horum muſculorum genus, unum retro ſub cute, totam ſpinam utrinq; complectens, alterum uero in partibus anterioribus non per totam ſpinam extentum, ſed ſolũ per partes ad lũbos attinentes. Muſculi itaq; ſoli nonnunq; hoc patiuntur,interiores ſcilicet & anteriores,uel poſteriores & exteriores; & ſine muſculis renes, nonnunq; introrſum,nonnunq; extrorſum uergente in ipſis abſceſſu.

Rigores in febribus ſexto die factos,difficile iudicium ſequitur.4.29. Quære,Febricitantibus qbus in ſexto die &c.

Rigor incidens ſæpius febre nõ deficiente,ægro iam debili,letale eſt.4.46. Nam ſi aliqua euacuatio rigorem ſubſequatur, quæ nullã faciat intermiſſionem, diſſolui hominem ſit uериſimile, quia uis imbecillis ferre non poteſt rigoris

agitatio-

agitationem, & quia ab euacuatione diſſoluitur. Si uero rigorem nulla euacuatio ſequatur, ultimam corporis indicabit imbecillitatem, cuius uis ſolita erat noxios humores in rigoribus euacuare, nunc uero hoc non poteſt efficere.

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput. Sed & uiris parte corporis poſteriore magis quàm anteriore, ueluti fœmorum, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem eſt, pilus. 5. 69. Vide inferius Sexti Epidemiorum Particula 3. Apho. 16.

Rigor & deſipientia ex multa potatione, malum. 7. 7. Quære Deſipientiam.

Ructus acidus ſi fiat qui prius non erat, in longis leuitatibus inteſtinorum, ſignum bonum. 6. 1. Quære, Inteſtinorum leuitatem.

Ructum acidum qui habent, non ualde morbo laterali capiüntur. 6. 33. Pleuritis ſiquidem fit unà cum flauis ac ruffis ſputis ex biliofis humoribus ortum habens. Sed ructus acidus cum ſputis ex pituitoſis, ſicuti qui cum nigris fit ſputis ex melancholicis, qui uero cum rubeis ex ipſo ſanguine. Membrana autem ſubcingẽs plus recipit humores bilioſos. Quare quibus pituita abundat, raro à morbo laterali corripiuntur, præſertim ſi ſalſedinem atque acritudinem aliquam habeat. Talis enim inteſtina mordens irritat ad deiectionem, per quam pituita & aliæ ſuperfluitates excernuntur. Vnde de Aëri & aqua dicit: Eos qui habent uentrem natura humidum minimè morbo laterali, atque alijs morborum generibus corripi. *Pleuritide qui nõ corripiantur.*

Rupta quæcunque ex dorſo ad cubitum deſcendunt uenæ ſectio ſoluit. 6. 22. Communi euacuationis ratione hæc ſectio prodeſt, & intellige eos qui fiunt compatiendi ratione dolores deſcendere ad cubitos, non ipſam carnoſæ partis diuiſionem.

SAlubritatem corporis habentes, per medicamenta euacuati cito exoluuntur. 2. 36. Contabeſcunt enim, non purgantur. Et rurſum. Qui bene ſe habent corpore difficulter ferunt medicatiões. 2. 37. Nam & uertigines & tormina patiuntur, & celeriter exoluuntur. Pharmacum enim attrahere appetit proprium humorem uel flauã bilem uel atram uel pituitam. Quia uero iſti non adſunt, ſanguinem colliquat ac carnes, ut ex ipſis proprium attrahat humorem.

Sanas carnes habentibus Helleborus periculoſus, facit enim conuulſionem. Quære in litera C, Carnes ſanas.

Sanitate minus integra fruuntur quibus nares natura humidiores & genitura humidior. Quibus uero cõtraria, ſalubrius degunt. Quære, Genitura humidior.

Sanguinem qui uomunt in febribus, malum. Quære in litera F, In febre quicunq; euomunt ſanguinem.

Sanguis quidem ſupra qualiſcunq; fuerit, malum. Infra autẽ nigra deiecta, bonum. 4. 25. Excretionem malam eſſe dicit quæ fit per os qualiſcunq; fuerit, qui excernit̃ ſanguis, hoc eſt ſiue ſpumoſus, ſiue rubeus, ſiue flauus, ſiue niger, ſiue aquoſus, ſiue craſſus. Melius eñ eſſe inquit, ut infra exeat, & neq; huc per modum diſrupti ſanguinis, ſed paulatim fluentis, ita quod ſui exitus tarditate denigretur. Ipſum itaq; ſanguinem confluere omnino ad aliquod inteſtinũ, malum oportet exiſtimare. Melius autem quando paucus quàm quando multus ueluti diſruptus effluxerit. Quare quod dicitur bonum, non ſimpliciter bonum, ſed quaſi melius diceret eſt audiendum.

Sanguinis multitudo q̃bus in febribus fluxerit, quacunq; ex parte cum reficiuntur alui his humectantur. 4. 27. Quære, Febrientibus quibus ſanguinis fluxerit.

Sanguinem ſpumoſum qui expuunt, his è pulmone fit eductio. 5. 13. Oſtendit talis ſanguis carnoſam pulmonis

ſubſtan-

ſubſtantiam, affectam eſſe ulceribus. Non tamen ex neceſſitate pulmone læſo ſanguinem ſpumoſum expuunt. Sæpe enim uidimus ex alto cadentibus aut percuſſis in palæſtra, icto thorace, ſanguinem plurimum bene coloratum cum tuſſi expuere ſine dolore, quem ratio dictat ex aliquo pulmonis uaſe diſrupto prodire.

Sangnis ad mammas confluens, furorem ſignificat. Quære, Furor ſignificatur.

Sanguis ſi in uentrem præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. 6. 20. Sanguis à propria cauitate, quã Hip. κοιλίαν hoc eſt uentrem appellat, in aliam quamcunque peruenſens, ut ſanguis permaneat eſt omnino impoſſibile. Suppurari autem ANNOTABIS non eſſe recte dictum, quum nomen ſit unius mutationis in ſanguine factæ, meliꝰ itaque corrumpi ſubſtitues, ut ſit hic ſenſus. Videtur ſanguis non permanere cum à ſuo loco exciderit naturali, ſed aliquando quidem ſuppurari, aliquando liueſcere, aliquando in grumos uerti, præſertim quando in magnam cauitatem exciderit præter naturam.

A' ſanguinis profluuio deſipientia, malum. Quære, Conuulſionem à profluuio ſanguinis.

A' Sanguinis ſputo puris ſputum, malum. Quære, Puris ſputum.

Sanguinis profluuiũ à forti in ulceribus pulſu contingit. 7. 21. De Pulſatorio dolore in Commentarijs noſtris ſuper lib. 2. De Locis affectis diſſeruimus. Quem Galenus in præſenti loco belliſſime deſcribit, dicens: In ulceribus inflammatis pulſus fit non ferente carne incumbente arterijs, illarum motum, ſed dolente quando ſe attollentes inciderint. Etenim huiuſmodi pulſus ſenſus quidam cum dolore ex arteriarum motione factꝰ, quas neque ab initio ſentiebamus, cũ membra ſe haberent ſecundum naturam, tum quia eorum adhæſus *Dolor pulſatorius.*

adhæſus non eſt moleſtus, tum quia in ſpacio laxiore mo• uentur. Membris uero inflammatis & loci anguſtatio, & diſpoſitio dolorifica, triſtem afferunt laborãtibus ſenſum ex

Pulſus. motu arteriarum, quem Pulſum appellant. Secundum aũt uim excretiuam nonnunq̃ uehementius natura operans, magnum & uiolentum arteriarum efficit motum appetens illa q̃ moleſtant expellere, atq; ita facit ſanguinis profluuiũ.

Sanguinem ſi quis minxerit, & grumos, & ſtillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in fœmur, & imum uentrem, pectinem'q; circa ueſicam male ſe habere ſignificatur. 7.39. NOTABIS hunc Aphoriſmũ eximendum eſſe propter alteꝝ qui prius, nempe lib. quarto ſcribitur, in hũc modum.

Sanguinem ſi mingant, aut grumos, uel ſtillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uẽtrem, & pectinem, & fœmen, circa ueſicam labor eſt. 4.80. Non ſolam ueſicam intelligas, ſed & partes quæ illi annectuntur, & omnia quæ urinæ ſeruiunt inſtrumenta, renes & urinarios meatus.

Sanguinis uomitum ſine uel cum febre, quære in litera F, In febre quicunq; euomunt ſanguinem.

Qualis ſanguis, deiectiones nigræ ſponte uenientes, ſiue cum febre ſiue ſine febre peſſimæ, & quanto colores magis praui fuerint plures, peius, cum medicamento uero melius, & quanto colores plures non praui. 4. 21. Si quando lien non bene expurgauerit, & illæ quæ in iocinore continetur ſanguis multum limoſæ ſuperfluitatis habuerit, accreſcit debilitas iecinori, ita ut non contineat in ſe ipſo ſuperfluitates, & tunc illæ quæ nigræ uocantur fient deiectiones. Oſtendit autem tales eſſe qualis ſanguis eſt denigratus dum per inteſtina defertur, neutiq; uero aſſimilantur ſanguini ſecundũ naturam ſe habenti: fiunt enim hæ & rubræ & nigræ. Atqui fieri non poteſt, ſanguinem eundem & rubrum & nigrum eſſe. Ab initio nunq̃ ad bonũ fiunt huiuſcemodi deiectiões,

magnam

magnam uiſceris læſionem oſtendentes, ad morbos uero conſiſtentes ſequuntur ſæpius natura ſuperfluitates expurgante. Multi prætereа deiectionum colores præter naturam, ſponte quidem euacuati, multarum & malarum in corpore diſpoſitionum ſunt ſigna. A' medicamento aũt ducti uim habente plureſ humorum ſpecies euacuare nihil abſurdum ſignificant.

Senes facillimè ferunt ieiunium. Quære, Ieiunium.

Senes raro febriunt. Quære, Creſcentes.

Senibus accidunt morbi ſequentes. Spirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſe, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, uiſus obtuſus, glaucedines, auditus graues. 3. 31. Manifeſtum hic fit Hipp. de ijs loqui, qui ultimam ætatem agunt. Hi capiuntur à deſtillationibus, quia caput in ipſis facilimè refrigeratur, & multæ in ipſis pituitoſæ ſuperfluitates propter frigidam cerebri temperaturam. Aſthmata quoq; ex diſtillationibus ortum habent, Et in ipſis ſpirandi inſtrumentis propter algorem non raro multæ ac craſſæ ſuperfluitates generantur, & præterea uirium imbecillitate præſente, renes ſæpius obſtruuntur, & lapides generant, quando tenax uel craſſa ſuperfluitas ibi firmata in ſimilem callo ſubſtantiam tranſierit. Articulorũ dolores, fluentibus ad articulos ſuperfluitatibus, aliquando propter membrorum motus frigiditatem. Vertigines, propter ſpiritum uaporoſum, qui in cerebro inordinato motu cietur. uel exalatione uaporoſa ex ſupefluitatibus uitioſis in uentriculo aceruatis orta. Apoplexia, quoniam in his cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus. Vlcera illis difficulter ſanantur, propter defectum ſanguinis. Prurigines habent & frequenter ſe ſcalpunt, quoniam illæ quæ pruritum

operantur ſuperfluitates difficilem habent per cutem euacuationem. Et cutis eorum propter frigiditatem condenſatur, exiſtuntq́ ſupfluitates plures ſimul & craſſiores. Vigilant, quia ſenectus plena eſt curarum, & præterea corpus habent exiccatum. Quibus uero ſenibus ſuperfluitates frigidæ plurimæ congregantur, hi magis fiunt ſomnolenti. Oculorum & aurium humiditates, propter cerebri ſuperfluitates, quibus ad aluum fluentibus, & ipſa eis ſæpius humectatur.

Senibus ſupra modum purgatis Singultus non bonus. Quære, Purgatis ſenioribus.

Senes cur fiant gibboſi. Quære, Corporis magnitudo.

Non ſentientes omnino dolorem parte aliqua corporis dolentes, ijs mens ægrotat. 2.6. Quære, Dolentes parte aliqua corporis.

Seniores iuuenibus plurimum ægrotant minus. Qui uero morbi ipſis accidunt longi maxima ex parte comitantur ad mortem. 2.39. Quære, Iuuenibus ſeniores plurimum.

Senibus ualde, ſi raucedines & grauedines accidãt, coctionẽ non admittũt. 2.40. Quære, Raucedines & grauedines.

Secunda ut procidat, ſternutatorio appoſito, & nares apprehendito & os. 5.49. ὑστέρων non ὑστερῶν legendum hic admonet Gal. ne quis uteros intelligat per ſternutationem eijciendos. Nam hoc uteros ſignificat, illud uero, ea quæ χόρια uocantur atq́ Secundæ. In Græco enim codice legitur ὑστέρων ἐκπτώσιος πταρμικὸν προστιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τῶν μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Septum tranſuerſum diſcindi letale eſt. Quære, Veſicam diſciſſam.

Si qualia oportet purgare purgentur confert & leuiter ferunt. 1.2. & 25. Et rurſus, 4. 2. & 3. Perſuaſiſſimũ eſt apud medicos, medicamenta quæ euacuant humores in morbo aliquo exuberantes ſalutaria eſſe, & medico qui ea propinat

multam

multam laudem conciliare. Huic enim ſæpe fit ut poſthabito omni alio labore ægrotus continuo melius habere incipiat, & uires priſtinas reſumere ſe ſentiat. Eſt enim hic latens ille ſcrupus, imò reconditus ille medendi rationis theſaurus, quem ignorant rudes Empirici, qui rationalem medicinam non adiungunt ſuis experimentis. Hunc ignorant uetulæ medicaſtræ omnes, hunc non deguſtarunt circulatores & errones homines, qui uno aut altero pharmaco uentres indiſcriminatim mortalium omnium ciere ſeſe poſſe au tumant: Vt enim multis ab his cita ſit aluus, rariſſimè tamen qualia oporteat purgare purgant. Qui enim purgent, cum temperaturas hominum non teneant, nec medicamentorum uires inueſtigent neq; inquirant? Quoties autem purgant humorem qui non eſt purgandus, minime dubium eſt ægros maximis exponere periculis hos circumferaneos & infœlices agyrtas. Quum igitur hoc Aphoriſmo doctiſſimus Hippocrates præclarę & ualde inſigne quid, cuius ſemp medicum uellet eſſe memorem debere, inſinuaret: non ab re ſaluberrimam hanc ſentẽtiam ſæpius iterauit, & frequentius inculcauit. Facturus enim fuerat hoc nequaq̃, eò quòd peculiariter breuiloquentia oblectaretur ſemper cũ ſcriberet & aliquid adnotaret, & Tautologia hac crebrius uteretur, niſi hæc eum quam modo attulimus ratio ſollicitaſſet.

Medicamentorum ſolutinorum uſus.

Sitiant niſi purgati medicamentis, nõ quieſcunt priuſq̃ ſitiant. 4. 19. Quære, Purgati medicamentis.

Siccitates imbribus ſunt ſalubriores ex anni conſtitutionibus, & minus mortiferæ. 3. 15. Nam in ſiccitatibꝰ ſuperfluæ humiditates diſſoluuntur, per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt, niſi quis ſingulis diebus collectas expurget exercitijs.

Sicci temporis morbi ſunt, tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia urinæ, & difficultates inteſti-

norum. 3.16. NOTABIS tabitudinem nequaq̃ ad ſiccam conſtitutionem ſequi. Intellexerunt igitur pleriq; tabitudines oculorum, quod in immoderatis ſiccitatibus lippitudines tabidæ fiant, ex qua fiunt oculi extenuati ac ſicci pluſq̃ naturæ conueniat, facta ſimul & ipſa pupilla anguſtiore, exiccatis uidelicet humoribus à quibus ipſa diſtentia mediocrem naturæ modũ ſeruabat. Articulorum dolores. NOTA. Si immodice factæ ſiccitates conſumpſerint articulorum humiditatem, difficilem quendam motum ob ſiccitatem efficient, & nonnunq̃ dolorem: eam paſſionem, quæ Arthritis nominatur, haud quaq̃ efficiet, niſi quiſpiam omnem articulorum dolorem ita uelit nominare. NOTABIS inſuper & ſtillicidium urinæ ad ſiccitates ſimpliciter ſequitur, niſi hæc tria coniungas. Immodicam ſiccitatem, caliditatem & frigiditatem. Fit & propter acutiem urinæ & propter facultatis expulſiuæ quæ eſt in ueſica imbecillitatem, Quæ imbecillitas ex immodica tẽperatura contingit. Cum uero octo ſint immoderantiæ, in ſingulis earum debilis ueſica erit, atq; iccirco ad eam ſtillicidia urinæ conſequuntur, & quidẽ urinarum acritudines à quibuſdam fiunt intemperaturis, ſed magis à calida. Secundo à calida & humida. Tertio ab humida. Fiunt & ſtillicidia ab his quæ propriè ſunt paſſiones ueſicæ, ueluti ob ulcus, aut Eryſipelas uel inflammationem. Habent etiam aliquando ex malo uictu originem. NOTABIS etiam inteſtinorum difficultatem non ſimpliciter ad ſiccitatẽ ſequi: Sed ut fiat neceſſariũ eſt exuperans ſiccitas. Deinde quod aer ambiens ſecundum caliditatem & frigiditatem permutetur; deinde & naturæ corporum patientes conſiderentur.

Sitientibus admodum noctu & bibere appetentibus ſi ſuperdormierint, bonum. 5.27. Coquetur eñ per ſomnum & ſubdeſcẽdet id quod efficit ſitim. Valde tamen ſitientibus

potus

potus eſt dandus, ſiue ex potatione uini meratioris, ſiue ex defectu potus ſitis aduenerit. Nam & defectui ſuccurrere cõfert, & illam quæ facta ex uino caliditatem aqua reſtinguere, theorema eſt ſalubre.

Singultus in inflammatione hepatis, malum. Quære in litera H, In hepatis inflammatione.

Singultus aut cõuulſio ex ſuperflua purgatione, malum. Quære, Conuulſionem ex ſuperflua purgatione.

A' Singultu habitum ſternutatio ſuperueniens liberat. 6. 13. Violento enim motu, uelûti concuſſæ ipſum efficientes humiditates difflantur atq; euacuantur.

Singultus ab Ileo, quære Conuulſionem ab Ileo.

Singultus eſt cõuulſio, quære Cõuulſionẽ ex purgatione.

Singultus ſenum. Quære, Purgans ſenioribus.

Singultus à uomitu, & oculorum rubor, malum. 7. 3. Humores enim infeſtantes per uomitiones abijciuntur, quod ſi non fiat, duorum alterum oſtendit: uel ſcilicet cerebrum neruorum principiũ, uel uentriculum pati non mediocrem inflammationem. Rubor oculorum utrãq; ſequitur diſpoſitionem, ſed præcipuè illam quæ in cerebro exiſtit ſimilis inflammationi.

Singultus fit ex repletione uel ex inanitione. 6. 39. Quære, Conuulſio fit ex repletione.

Singultum ſanat ſternutatio. Quære Aphoriſmũ cuius initium. Parturiens difficulter.

Somnus in quo morbo laborem facit, mortale. Si uero iuuat non mortale. 2. 1.

Somnus ubi delirium ſedat, bonum. 2. 2.

Somnus atq; uigilia, utraq; ſi modũ exceſſerint, malum. 2. 3. Hippocratis hic ſermo de eo dicendus eſt quod naturam excedit. Naturales autem uigiliæ ſunt conſuetæ, ut in illo qui conſueuit uigilare & omne opus adimplere, præter

naturam uero uigiliæ ſunt,ut in phrenitico affectu.Somnus item ultra naturam eſt, aut in obliuioſo lethargo, caro,comate & in cæteris ſimilibus affectibus. Secūdum naturam eſt ſomnus,ut ſi quis horis conſuetis obdormit, deinde uero ſurgens adimplet officia naturæ,cōcoctiones omnes & egeſtiones obit per uentrem,ſputum, urinam & cætera ſimilia. Oribaſius.

Somnus delirium ſedans,bonum. Quære, Delirium.

Somnus,uigiliæ utraq; modū excedentia, morbus.7.67. Galenus hunc Aphoriſmum interiectum putat. quia prius iiſdē uerbis dictus eſt,id quod uenit ADNOTANDVM.

Somnus ſedat ſitim.5.27.Quære,Sitim.

Somnus quando malus.Quære in febribus ex ſomnis.

Spaſmum quære in Conuulſionibus.

Spuma quibus circa os fuerit ſtrangulatis, ac diſſolutis nondum mortuis,hi non referuntur.2.43.Oribaſius inquit: Strangulatos quum inueneris ſpumantes, iam non de uita ſperes. Spuma enim humor eſt, quem calor naturalis cum flatu & ſpiritu uitali ad fauces ueniēs,facit. Sicut in cacabo fit,ubi impoſitæ fuerint carnes,aut legumina. Ex calore fit flatus, ex flatu ſpuma, & ea tamdiu fit, quouſq; flatus amittatur. Sic itaq; & in mari concepto flatu nimis exagitando ſpuma ad littus fit,ut ſi quis uoluerit in lagenam,aut utrem liquidum iniicere, celeriter ad os ſpuma eleuatur. Sic itaq; & natura dum ſpumam fecerit in ore,ſignificat calorem naturalem cum flatibus & ſpiritu uitali relinquere oſſa interiora,nulla ergo ſpes eſt uitæ. Epileptici autem ſpumantes non tamen moriuntur. Quia ea ſpuma non eſt ex interiori parte,ſed ſolummodo ex palato & faucibus.

Spuma.

Sperma quære in Genitura.

Sphacelum quære in Cerebro ſphacelato.

Spiritus offendens in febribus, malum. Conuulſionem

enim

enim ſignificat.4.68. Quære in litera F, In febribus ſpiritus offendens.

Spiritum luctuoſum, quære in Suſpirijs luctuoſis.

Spumoſum quicunq; ſanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit.5.13. Quære, Sanguinem ſpumoſum.

Strangulatio in febri letalis. Quære, A' febre habito.

Strangulati, ac diſſoluti, nondum mortui non referuntur, quibus ſpuma circa os fuerit.2.43. Quære, Spuma quibus circa os fuerit.

Sternutatorio appoſito, nares apprehendito & os, ut ſecunda procidat.5.49. Quære. Secunda ut procidat.

Sternutatio curat ſingultũ. Quære, Singultum curat &c̃.

Sterilis non eſt ex ſe ipſa, ſi mulier nõ concipit. Scire aũt uelis ſi cõceptura ſit, pannis circumtectam deſubter ſuffias, & odor uideatur per corpus ire ad nares & os.5.59. Suffiri poſſunt, inquit Galenus, thus, myrrha & ſtyrax, & quæcunq; alia quæ calidam habent temperaturã, & ſunt ſatis odorata. Quæ autem durum ac denſum uteri corpus habent, hæ mulieres non concipiunt. Sicut & ibidem poſt inquit: Quæcunq; frigidos habent uteros & denſos, non concipiunt.

Strangulatos, quære, Spumam circa os.

Stuporem corporis quære in Apoplexia.

Stupor & deſipientia in capitis ictu, malum.7.14. Quære, in litera C, In capitis ictu.

Sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani, Aër enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.7.51. Non tamen omne ſternutamentum fit calefacto cerebro, uel humectato in capite inani. Pennis nanq; nares quidam irritantes ſternutant. Sed & cum tuſſi ſpiritus deſubter ueniens ad naris meatus cauſa fit ſternutationis. Præterea opinari ſolum aërem qui ex capite excernitur eſſe *Sternutationis cauſa*

quod

quod ſonat eſt manifeſte falſum, nam liquido apparet de-ſubter ex pulmone elatus aër, uniuerſim ſe comprimente thorace, ſed & antecedēte inſpiratione fieri ſternutamentum natura aggregante aëris copiam ad ſternutamenti generatione, his quæ dicta ſunt adſtipulatur. NOTABIS etiam non omnem humorem facere ad ſternutationis generationem. Si enim aliquis humor in capite ſuperabundat, non facit ſternutamentum, niſi in uentum cōuertatur, quod manifeſte uidetur in multis, qui copiam humoris per nares excernunt, & tamen propterea non neceſſario ſternutant. Solum enim illi ſternutant qui ita affecti ſunt, quibus mordax eſt ea quæ à capite fluit humiditas, ceu ſi quid mordax naribus im ponas. Et ſi aduertas uidebis ſternutamenta quæ ex capite motus habent initium, leuare caput. Fiunt enim & rarefactis his qui ſunt in capite humoribus, & naturæ impetu excretis. Rarefieri autem ipſis accidit concalefactis. Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem prius erant ſuperfluitates aggregatæ.

Sine ſudore moriuntur quibus cutes circumtenduntur aridæ & ſiccæ, quibus uero laxæ & raræ cum ſudore moriuntur. 5.71. Quære, Cutes aridæ quibus.

Sudores frigidi, cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem longitudinem morbi ſignificant. 4. 37. Ambigis quomodo febre calidiſſima hominem detinente, ſudor fiat frigidus. Sed eſſent quidem calefacti, ſi ex partibus calidiſſimis efferrentur. Euacuantur aūt ex cute ſudores quam frigidam eſſe contingit, licet ea quæ ſunt ſub ipſa comburantur. Nam humoribus putreſcentibus febres acutæ fiunt, hi uero putreſcunt ſæpius quidem in toto corpore, ſæpius uero in uaſis ſolis. Contingit aūt aliquando ſimul humores qui ſunt in uaſis putreſcere, & naturam quæ ſolida corpora regit (quæ ſecundum Hippocratem eſt calor naturalis) uel

extingui

extingui omnino,uel proximam eſſe extinctioni, quæ quidem ex his euacuantur frigida ſentiuntur. Eam uero quæ fit ex putredine,caliditatē nihil prohibet uehementiſſimam eſſe. Atq; ideo ſignum exitiale erit, oſtendens in animalis corpore humorum frigidorum multitudinem ſuperabundare,tantam habentium frigiditatem,ut neq; â calore natiuo, neq; à febrili calefiant

Sudores bonam iudicationem morborum, uel malam oſtendunt. 1.12. Vide Acceſſiones & conſtitutiones.

Sudores febricitantium. Quære, Febrientium ſudores.

Sudor qua parte corporis eſt,ibi morbum eſſe ſignificat. 4.38.Sudor,ut inquit Oribaſius,aut fit uniuerſalis,aut particularis. Vniuerſalis fit duobus modis; uno quia eſt abundans materia; altero quia non eſt uirtus ualida. Particularis fit trifariam: primum,ſi abundat aliqua materia,deinde ſi eſt ibi uirtus debilis, tertio quia locus qui ſuſcipit patitur. Sicut nunc Hippocrates dicit; In quocunq; loco ſudor fuerit, illic morbum oſtendit.

Sudor multus ex ſomno factus abſq; cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat,ſi uero cibum non accipienti hoc accidat,ſcire oportet quòd euacuatione indiget corpus. 4.41. Galenus breuiter enarrat,dicens: Multitudo ſudoris fit uel propter ciborum qui ſunt recenter aſſumpti immoderantiam,uel illorum qui antea. Si propter recenter aſſumptos prohibere oportet ne plures aſſumant,ſi propter prius aſſumptos, euacuare.

Sudor multus calidus uel frigidus ſemper fluens,frigidus magis,calidus minus ſignificat morbum.4.42.Frigidus ſudor ex pituita eſt,& ideo longiorem ſignificat morbum,propter ipſum humorem qui tarde extenuatur. Calidus ex biliofo eſt,ideoq; minorem ægritudinem ſignificat,eo quod celerius finitur. Oribaſius. *Pituita.* *Bilis.*

q A' ſudore

A ſudore horror, non bonum. 7.4. Hippocrates innuit quòd iudicatoria quæ non iudicant partim ſunt mortalia, partim male iudicantia. Quoniam natura in huiuſcemodi diſpoſitionibus morbo ſuccumbit.

Sudantes qui moriantur. Quære, Cutes aridæ & ſiccæ.

Sudor nõ ſoluens febrẽ, malus. Quære, Febricitãti ſudor.

Sudamina, quære in Aeſtatis morbis.

Surditate ſuperueniente, quibus bilioſæ deiectiones, ceſſant. Et quibus ſurditas, ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat. 4. 28. Quære Excrementa millioſa.

Surdum, quære in Febribus aures.

Suppurati quicunq;, aut aquã intercutẽ patientes uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua uniuerſim effluxerit, omnes moriuntur. 6. 27. Quære, Hydropici qui uruntur.

Suppuratio in corpore exiſtens quibuſcunq; non innoteſcit, his ob craſſitudinem puris aut loci non innoteſcit. 6. 41. Nam & propter puris craſſitudinem & propter loci, ſæpius occultatur puris in aliquo loco comprehenſi notitia.

Suppuratum iecur habentibus ſi adurantẽ & pus albũ fluxerit euadunt, in tunica ẽm his pus continetur. ſi uero qualis amurca fluat, pereunt. 7. 45. Quære, Iecur ſuppuratum.

Suffitus aromatum muliebria ducit. Quære, Aromatum ſuffitus.

Suſpiria luctuoſa in acutis paſſionibus quæ cum febre ſunt, malum. 6. 54. Quod ſi frigus muſculos thoracis apprehenderit uel neruos, durities quædam inſtrumentis adueniet, & motus conuulſioni ſimilis. Quam febris ſua eſt apta natura ſanare, & calida auxilia. Febre autem cum his exiſtente non poſſumus cauſare muſculorum thoracis, ſiue neruorum frigiditatem. Sed uel duritiem quæ facta eſt, uel uirium imbecillitatem, uel conuulſioni ſimilem diſpoſitionem. Quicquid horum in cauſa ſit, non eſt bonum ut in morbo acuto

acuto contingat. Quod ſi etiam cum tali ſonitu contingat reſpiratio, qualis flentibus accidit, ultra dictas cauſas oſtenditur doloroſa diſpoſitio, ex qua ueluti flẽtes uel gementes uel aliquem mixtum ex utriſq; ſonum edentes, in hunc modum reſpirant. Luctuoſa ſuſpiria.

Synanchen uel Squinantiam, quære in Angina.

TAbeſcere corpus febricitantium pluſq; ratio poſtulat, malum. 2.28. Quære, Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus.

Tabe laborantibus capilli ſi à capite defluũt, his alui profluuio ſuperueniente, moriuntur. 5.12.

Tabe moleſtatis ſi ſputum quod extuſſiunt graue olet inectum carbonibus & capilli à capite defluũt, letale. 5.11. Sicut in ulceribus ueſicæ odorem dixit grauẽ ſentiri, ita & nunc tabidorum ſputum grauiter olere. Si uero & ex capite capilli defluant, ita affectis letalem eſſe notam, quoniam & maximus alimenti defectus oſtenditur, atq; aliquando humorum corruptio.

A tabe habito profluuium alui ſuperueniens, letale. 5.14. Illud enim ſolum quoq; ſufficit mortem ſignificare, non tamen ita è proximo neq; tam cito ſecuturam, ſicuti cum defluuium capillorum adiungitur.

Tabidos cauentes ad ſuperiores purgationes. 4.8. Tabidos uocat quos alij Phthiſicos nominant. Hos ad ſuperiores purgationes nunq;, inquit, duxeris, ueritus ſcilicet inſtrumentorum quæ reſpirationi obſeruiunt imbecillitatem. Eſt enim in his pectus anguſtũ, & qui in eo continetur pulmo.

Tabes fiunt maxime ætatibus, à decimooctauo uſq; ad trigeſimum quintum. 5.9. Oribaſius rationem huiuſcemodi adponit. In hac nanq; ætate fit denſitas, quia multũ exercitantur, tũc enim exercitijs apti ſunt. Vnde & Romanorum

Romani milites. lex hanc ætatem probat, & quos antiqui uolebãt ad bellum educere ab anno decimooctauo aſſumebant. Nam à 14. anno uſq; ad 18. leuioribus quibuſdam exercitijs exercebãtur, *Tribuni militum.* ab anno autem 18. uſq; ad 35. ad arma mittebantur, à 35. uſq; ad 60. Tribuni erant, à ſexageſimo uero complebant militiam, & accipiebant honoris dignitatem & rude donabantur, *Milites emeriti.* licebatq; illis quod uoluiſſent agere. Ab anno igitur decimooctauo uſq; ad trigeſimumquintum fit maximè tabes, quia qui huius ſunt ætatis currunt & iactant ſeſe, & incompoſitè comedunt, hæc autem omnia attenuant.

Tabidis lac congruit. Quære, Lac dare caput dolentibus malum.

Tempori congruens morbus. 2. 34.

Temporum mutationes potiſſimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes, aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. 3. 1. Temporum immutatio iuxta ſententiam Oribaſij, trifariam fieri ſolet. Aut quũ naturaliter frigida temporibus calidis corrumpuntur. Aut naturaliter calida frigidis inficiuntur. Aut naturaliter media in aliquod contrariũ uertuntur. Quod etiam bipartito fit. Quod enim tepidum eſt, aut calore ſuperatur, aut frigore uincitur. Horum ergo temporum immutationibus, maximæ immutationes humorum noſtri corporis fiunt: licet immutationes fiant, non ſolum temporibus, ſed etiam ætatibus, locis, humoribus & cibis. Quum igitur temporibus ſubiecta ſint corpora noſtra, in his immutationibus temporum maximę generantur morbi, quia per iſta nutriuntur corpora noſtra, eiſdemq; inficiuntur.

Tempore longo quæ extenuantur corpora, lente reficere oportet, quæ uero breui breuiter. 2. 7. Quos aphoriſmos hic offendes non explicatos ſtudioſe lector, hos noueris ali-

cubi

cubi ſuperius eſſe enodatos. Quare in ſerie alterius alicuius elementi alphabetici diſquirito, quod hic in ſequentibus minus fuerit tibi obuium.

Temporibus ſiccis febres acutæ fiunt, & ſi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit cõſtitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare. 3. 7. Ex temporum autem conſtitutionibus, quod in totum dixerim, ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ. 3. 15.

In Temporibus conſtantibus, cum tempeſtiue tempeſtiua redduntur, morbi conſtantes, & boni iudicij fiunt, in inconſtantibus autem, inconſtantes & mali iudicij. 3. 8. In libro de aëre, aqua & locis, annum conſtantem ita definit. Si pro ratione facta fuerint ſigna huiuſcemodi in ortibus & occaſibus ſyderum, & in autumno, ſi aquæ deſcendunt, & hyems mediocritatem ſeruauerit, neq; ualde ſerenus, neq; frigore excedẽs, & uere aquæ euenerint tempeſtiue & æſtate, ſic par eſt annum fore ſalubriorem. Quæ uero non ſeruant ſecundum aliquid anni conſtantis dictum, ea nunc Hippocrates uocat inconſtantia, & eos qui in ipſis accidunt morbi, ſimiliter appellat. Quibus cum caſibus periculoſis iudicia eueniunt, uel ſtatim ſunt periculoſi, uel omnino faciunt recidiuam. *Conſtans tempus.*

Temporis pluuioſi morbi, magna ex parte ſunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & anginæ. In ſiccitatibus autem fiunt tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia urinæ, & difficultates inteſtinorum. 3. 16.

Tenues præter naturam exiſtentes utero gerentes, abortiunt priuſquam craſſeſcant. 5, 44.

Tetano qui corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, ſi uero has effugerint ſani fiunt. 5. 6. Peracutus enim morbus in quatuor diebus iudicatur. Si autem quartum diem

tranſierit,iam non eſt peracutus morbus. Eſt autem Tetanus hoc eſt,diſtentio,morbus peracutus, ut quæ compoſita ſit ex illa quam Græci Emproſthotonon,id eſt,ad anteriora diſtentionem, & quam opiſthotonon, id eſt, ad poſteriora diſtentionem nominant.

Diſtentio.

Thorexis,id eſt,uini potio famem ſoluit 2.21. Intelligendam Galenus dicit non eam famem quæ fit cum appetitu,ſed illam uehementem & ſedari contumacem ciborum appetentiam quam Caninam nominant, hanc enim uini potio ſanat,non eam quæ ex longa inedia, uel alui profluuio,aut fluxu ſanguinis,aut aliqua alia facta eſt euacuatione. Hi enim ex uini potu offenduntur potius,quoniã conuulſionibus atq; delirijs confeſtim corripiuntur,ſi anteq̃ cibos aſſumpſerint uinum potauerint. Caninum autem appetitum uinum abundanter potum,ex eorum genere quæ ſufficienter calefaciunt,curant. Neq; enim acerba uina talem famem ſanant,ſiquidem neq; calefaciunt. Fit equidem Caninus appetitus uel propter ſolam intemperaturam frigidiorem, uel propter humores acidos quos exorbuit os uentriculi. Quare edulia pinguia, & uinum quale diximus, breui curant illum,modo nihil auſterum aut acre offeratur. Non tamen uehementem eſuritionem quam Bulimon uocant intelligit Hippo. quia hæc magis uniuerſalis eſt, & eſt caſus potentiæ ex frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoauit,ſed non habet eam amplius adiunctam.

Canina appetentia.

Bulimia.

Tremores in febribus ardentibus delirio ſoluuntur. 6. 26. Quære,delirio ſoluuntur qui in febribus.

Timor atq; mœſticia ſi longo tempore habentes perſeuerent,ex eo atra bilis ſignificatur, 6. 23. Timor enim fit quoties tinctæ fuerint cerebri particulæ,& uelut in tenebris ſe non cognoſcente natura,timores accidunt. Maxime autem ex melancholica materia timores eueniũt, Oribaſius.

Tubercula

Tubercula requirunt inſpectionem excrementorum, 2. 15. Quære fauces ubi ægrotant.

Tormina ſi non febricitãtibus acciderint, & genuũ grauitas & lumborum dolor, purgari inferius oportere ſignificatur. 4. 20. Quære genuum grauitatem.

Tubercula lata minus pruriunt. Quære puſtulas latas.

Tubercula articulorum. 4. 44. & 45. Quære Abſceſſum & Apoſtema.

A tuberculi intus ruptione, exolutio, uomitio, aut animi defectio fit. 7. 8. Suppurationem hic tuberculum appellat, & intelligit ruptionem intrinſecus factam ad uentriculum, ad hanc enim cõſequitur uomitus. Sicut tuberculorum in thoracem & pulmonem ruptio, non uomitionẽ, ſed tuſſim excitat, & ſæpius etiam ſtrangulat. Suppurationum autem ad inteſtina ruptiones puris faciunt deiectionẽ. Omnium autem ruptionum commune eſt exolutio & animi defectus propter uitalis ſpiritus excretionem.

Tuſſis ſuperueniens Hydropicis, malum. 6. 35. Quære Hydropicis tuſſis.

Tympaniam quære in Hydrope,

VArices ſi in inſanientibus uel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio. 6. 21. Quære hæmorrhoides uel uarices.

Varices magnæ non fiunt caluis. Quibus uero caluis uarices magnæ ſuperueniunt, hi rurſus fiunt capillati. 6. 34. Quære Caluos.

Vaſorum inanitio, ſi talis fiat qualis fieri debet, confert, & bene tolerant, ſin minus, contra. 1. 2. Quære Purgentur ſi qualia oportet purgari.

In uentris perturbationibus, & uomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt, ſin minus, contra. ibidem.

Ventres hyeme & uere natura calidiſſimi ſunt. & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, unde & pluribus egent alimentis, indicio ſunt ætates & athletæ. Quære, ieiunium ferunt.

Ventres humidos habentes iuuenes, melius euadunt his qui ſiccos habent. Ad ſenectutem uero deterius commutant, nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccantur. 2. 53. & 2. 20. Quære aluus humida exiccatur.

Ventris dolores ſublimes leuiores, qui uero nō ſublimes, fortiores. 6. 7. Intellige dolores profundius in uentre & ſub interiore membrana abdominis lancinantes ab Hyppocrate dici, non ſublimes, eos uero qui ſupra hanc membranam afficiunt, ſublimes. Liquet autem quòd illi ſunt fortiores, hi uerò leuiores.

In uentrem ſanguis præter naturam effuſus, neceſſe ſuppuratur. 6. 20. Quære Sanguinem in uentrem.

A' uentris dolore diuturno, ſuppuratio, 7. 22. Suſpitio enim eſt quòd dolor propter inflammationem perſeueret, quæ temporis proceſſu ſuppurabit, niſi hominē morte præripiat, nam & hoc ſubaudire oportet.

In uentris forti dolore partium extremarum frigiditas, malum. 7. 26.

Vena frōtis ubi ſecanda. quære Capitis partē poſteriorē

Vertiginem ſi quis febrem non habens patiatur, & oris amaritudinem ſentiat, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat. 4. 17. Vide in ante dictis.

Vere ſomni ſunt longiſſimi, uentres calidiſſimi, unde & pluribus egent alimentis. Vide ſupra dicta.

Ver eſt ſaluberrimum & minime exitiale. 3. 9. Quia bonam habet temperaturam. Oribaſius. Verum inquit, tempus ideo melius dixit Hippocrates autumno comparatum, quia

quia ægritudines quæ ex ſanguine fiunt, leuiores ſunt alijs, Et rurſus. Quoniam tempus temperatum eſt, in quo & ipſa gaudet natura.

Ver cum pluuioſum & auſtrale fuerit, quales per ſequentem æſtatem morbi graſſaturi ſint. Et rurſus, quales, ſi idem uer ſiccum fuerit & aquilonium. 3. 11. & 12. Vide in ſupra enarratis, quæ huc etiam ſpectabunt omnia.

Vere & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate optime degunt, & ſani ſunt maxime. Aeſtate uero & autumno uſq; ad aliquid ſenes. Reliquum autumni & hyemis, qui mediam ætatem habent. 3. 18. NOTABIS ſermonem futurum fuiſſe magis exquiſitum, ſi ita ſcripſiſſet: Adoleſcentes uere, pueri æſtatis principio, optime degunt. In ſenibus uero propter temperaturæ frigiditatem æſtas utiliſſima eſt, ſicuti his qui in ætatis uigore conſiſtunt, hyems maxime confert.

Vere purgare uel uenam incidere oportet hos quibuſcunq; uenæ ſectio uel purgatio cum medicamēto cõuenit. 6.47. Hunc Aphoriſmum dimidiatum ANNOTABIS à literatoribus lib. 7. Apho. 53. fruſtra eſſe repetitum. Neq; enim ueriſimile eſt ipſum Hippocratē tantarum rerum obliuione fuiſſe correptum, ut ſuperiorū prorſus nihil amplius memoria tenuerit. Loquitur autem Hippo. de his qui adhuc ſani, ſed ægri futuri ſunt, niſi euacuentur. Hos eīm Vere aduenïente curare oportet, uel per uenæ ſectionem ſi plenitudinis paſſionibus ſubijciuntur, uel per purgationem ſi eis quæ ex corruptione proueniunt. Galenus plurimos ita ſeruauit ſanos, qui longo ante tempore ſingulis annis morbis capiebantur. Sed & podagram & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali euacuatione multis iam ann' fieri prohibuit. Eodem modo & ſanguinis ſpuitionem, Epilepſian, Apo-

plexiam, Melancholiam, & alias diuturnas paſſiones in multis hominibus per dictas euacuationes ſuſtulit.

Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore, letale eſt. 6.17. In confeſſo habetur cor uulneratum mortem afferre neceſſario. In alijs autem non æque recipitur uulnus quodcunq; mortem adferre, ſed illud quod magnum eſt atq; profundum, quod uerbo diſciſſa ſignificatur.

Veſicæ & renum uitia in ſenioribus difficulter ſanantur. 6.6. Vide Renum uitia.

Veſicæ excrementa inſpicere oportet, ſi talia qualia ſanis excernuntur. Quæ igitur minime ſimilia ſunt his, hæc morboſiora. Quæ uero ſunt ſanis ſimilia, hæc minime morboſa. 7.63. NOTABIS & hunc ſermonem obeliſco Omnia uero quæ ſunt ſanis ſimilia in toto corpore, ubiq; dictum eſt ab Hippocrate bonum aliquid ſignificare. Quæ uero diſſimilia, contrarium.

Victus tenuis atq; exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis uero in quibus non conuenit difficilis. Et rurſus qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis eſt. Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt graues ſunt. 1.4. Victus tenuis moderandus eſt, ne ad ultimam tenuitatem perducat ægrotum. Repletiones etiam, id eſt pleni cibi ad ultimum ducti peſſimi ſunt, non ſolum carnes diuerſæ, præ ſumptæ immoderate, ſed & uinum & panes. Nam extra modum omnia peſſima ſunt. Ideo & repletio ſi recedit à mediocritate, perdit corpus. Oribaſius.

In uictu tenui ægri delinquitur, quo fit ut magis lædanť. Quicunq; enim error cōmittitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulò pleniori uictu. Propterea etiam ſanis, periculoſus exiſtit ualde tenuis conſtitutus & exquiſitus uictus, quoniā errores grauius ferunť. Ob hoc igitur tenuis uictus

atq;

atq; admodum exquiſitus,eo qui ſit pauló plenior, magis ut in pluribus periculoſus. 1. 5. Nam ut Oribaſius inquit: Aegrotus uix obtēperat medico in aſſumendo tenui uictu, ſiue igitur hoc ueſcatur, ſiue pleniorem ipſe ſibi aſciſcat, & ſiue euadat ſiue periclitetur,poſtremum medico dicit: Quare tu me occidere uoluiſti,quū me tractare ſolo ſucco inſtitueras, aut inquit: tu me occidiſti, aut, tu me occidiſſes niſi amicorum conſilio uictum ampliorem fuiſſem expertus. Error magnus maior fit, hoc eſt, aut magnum malum,aut magnum bonum eis obuenit,id eſt,non leues ſunt caſus,qui eis contingunt,ut eſt animæ defectus,ſudores frigidi,& ſpirituum digeſtio. In paulò autem liberaliore uictu caſus illi aliquanto mitiores contingunt. Sanis etiam tenuis uictus eſt periculoſus. Verbi gratia. Qui conſueuit uti cibo pleniore,idem ad nauigationem aut carcerem miſſus nihil comedendo, conglutinationem facit inteſtinorum, poſtea uero ubi dimiſſus fuerit,uolens nimirum ad priſtinam conſuetudinem redire,largiorem tum potum tum cibum aſſumit, coctio non obitur,morbi oriuntur.

Inſuetæ inedia periculoſa incōmoda.

Victu extreme tenuiſſimo eſt utendum,ubi morbus peracutus eſt. Vide antedicta.

Victu tenuiſſimo utendum eſt, quando morbus in ſuo uigore conſtiterit. 1. 8. Quære, Vigorem morbi.

Victum offerre oportet & quibus ſemel, aut bis, & quibus plurá ne, an pauciora particulatim. Condonandum autem aliquid tempori, ætati & conſuetudini. 1. 17. Indaganda eſt conſuetudo comeſtionis ſanorum atq; languentium. Verbi gratia, Aliquis ſolitus eſt comedere mane & ueſperi, alius quater in die, alius ſexies, ut in aulis principum, alius decies, ut agricolæ: alius tamen modicum, alius multum aſſumit. Fingas igitur laborātem Cauſo, aut Synocho, qui nō habet declinationem, huic ſi uolumus addere cibum,

ægritudinem augemus, ſi non damus, uirtutem minuimus. Quid ergo faciendum? Interrogemus quibus horis ſolitus ſit refici, eadem hora eũ reficiamus tenui cibo. Natura eñ in operationibus ſuis requirit conſuetudinem, & conſeruatur ab ea. Nam conſuetudo altera eſt natura, & conſuetudo naturam, & natura conſeruat conſuetudinem. Sic etiam inquires, quo tempore ſit morbus, æſtate an hyeme: regionem, calida ne ſit an frigida; ætatem, iuuenis ne an ſenex &c. Oribaſius.

Cõſuetudo

Victum pleniorem & laudes huius uictus commemorat lib. 1. Apho. 5. & 7. Quære, Laborem.

In uigilia conuulſio uel deſipientia, malum. 7. 18. Quære, Conuulſio in uigilia.

Vinum ſoluit famem. Quære, Thorexin.

Viri ſteriles ſunt, quum aut propter *corporis raritatem* ſpiritus extra fertur, ut ſemen non *tranſmittatur* ad os, uel propter ſpiſſitudinem humor non *exit* foras, uel propter frigiditatem non concaleſcit, ita ut ad hunc colligatur locum, uel propter caliditatem hoc idem accidit. 5. 63. NOTA hunc qui interpoſuit Aphoriſmum non intellexiſſe proprias uoces, necq; eius ſermonem uerum deprehendi. Videntur ſiquidem uiri multi habentes rarum corpus, ſemen tamen habere fœcundiſſimum. Raritas ſiquidem corporis in calidioribus atq; humidioribus prouenit temperaturis, quæ plurimo ſemine & fœcundiſſimo abundant. Nam & materiam habent ex qua ſemẽ generatur copioſum, & uim à qua concoquitur. Vaſa autem ſeminaria ſua intentione expreſſum ſemen extra iaculantur, & non ſpiritus eſt ille qui propellat, ſiquidem ſubſtantia ſpiritualis cum humore miſcetur ſeminis, quæ & ipſa indiget exprimentibus.

Corpus rarum.

Vlcera in corpore hydropicorum facta difficulter ſanantur, 6, 8. Non enim prius ad cicatricem perducuntur ulcera quàm

quàm ſufficienter exiccentur, hoc non poteſt fieri facile in his quos aqua intercus male habet ob humiditatis immoderantiam.

Vigilia ſuperflua mala. 2.3. Quære, Somnus & uigilia.

In ulceribus, quibus tumores apparent non conuelluntur maxime neq; inſaniunt. Verum his euaneſcentibus, de repente, quibuſdam à tergo cõuulſiones & diſtentiones fiunt. Quibuſdam ante inſania, uel dolor lateris acutus, uel ſuppuratio, uel difficultas inteſtinorũ, ſi tumores ſunt rubicundi. 5.65. Quando in dorſo fuerint ulcera, & tumores eorum ſubito euaneſcant, cõuulſiones ac diſtentiones ſuborientur. Si autem in partibus anterioribus fuerint, reliqua accident mala quæ in Aphoriſmo ſequuntur. Poſteriora ſiquidem neruoſa ſunt, anteriora uenoſa, atq; arterioſa.

Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulſiones, diſtentiones. 5.20. Quære, Frigidum.

Vlcera quæcunq; annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium & cicatrices cauas fieri. 5.45. Quæ ulcera longo tempore manent, cicatrice non ueniente, uel ſi facta ſit rurſus reſoluta, nihil uidelicet medicis in curatione delinquentibus, neceſſe eſt, uel propter influxum uitioſorum humorum uel propter diſpoſitionem in membro contractam tempore ex humoribus influentibus, uel ob aliquam paſſionẽ oſſis in eo loco corrupti, difficulter ſanari. Vlcera autem omnia exiccari oportet, terminusq; ſiccitatis eſt, ut abſcedat pars eius quæ eſt uitiata. Quare non abſq; ratione tantum fieri cauas cicatrices contingit, quantam habuerit abſceſſus craſſitudinem.

In ulceribus à forti pulſu profluuiũ ſanguinis contingit. 7.21. Vide in litera P, de Pulſu.

Ad umbilicum & ad imum uentrem partes attinentes in

quouis morbo craſſitudinem habere melius eſt. Multum uero extenuari, ac contabeſcere, prauum. Sed & hoc quoq; ad inferiores purgationes periculoſum. 7.35. Eaſdem partes tenues malas eſſe, tanq; ſigna & tanq; cauſas oſtendit Galenus. Signa enim ſunt partium quæ contabuerunt imbecillitatis. Cauſæ uero quòd coctio bona non fiat in uentre ciborum, neq; ſanguificatio in iecinore. Quibus etiam purgationes ad inferiora ſunt periculoſæ. Nam in talibus oportet omnia quæ ſunt infra thoracem eſſe robuſta, ut bene purgationibus ſeruiant, alioqui magna incommoda patiuntur. Sunt & ſuperiores quæ fiunt per uomitum purgationes iiſdem ualde periculoſæ.

Ad umbilicum tormina & dolores & lumborum dolor, qui neq; à medicamento neq; aliter ſoluitur, in hydropem ſiccam firmatur. 4.11. Vide quæ ſuperius enodauimus.

Vomentes facile graciles purgare ſuperius, cauentes hyemem. 4.6. Quære, Graciles.

Vomentes uero difficulter, & mediocriter bene carnoſos per inferiora, cauentes æſtatem. 4.7. Quære, Carnoſos.

Vomere caueant tabidi, neq; ad ſuperiores purgationes ducantur. 4.8. Quære, Tabidos cauentes.

A' uomitu ſingultus & rubor oculorum malum eſt. 7.2. Quære, Singultum.

Vomitus ab Ileo malum. 7.10. Quære, Conuulſionem ab Ileo.

Vrinæ & alui excrementa & ſudores bonam morborum iudicationem uel malam oſtendunt. 1.12. Quære, Acceſſiones & conſtitutiones.

Vrinæ quibus ſunt perturbatæ, quales ſunt iumẽtorum, his dolor capitis uel adeſt, uel aderit. 4.70. Tales aũt fiunt urinæ materia craſſa ac denſa à calore agitata. Hæ enim uidentur maxime, & ab extrinſeca caliditate in ſpiritum ſolui, ſicut

ſicut bitumen, pix atq; reſina. Nonnullæ igitur longo tempore manent perturbatæ, nonnullæ uero cito ſedimen craſſum habent, & cito morbū ſolutum iri ſignificant. Quæ uero non reſident, ſi uires affuerint, longum fore morbū oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem pronunciant. Fiunt autem dolores capitis, urinis perturbatis fluentibus. Quia ſpiritus flatuoſus unà cum calore prompte fertur ad caput. Non tamen eſt neceſſariū ut ſi quis doleat caput tales ſint urinæ. Fit enim dolor capitis etiam ex calore ſolo, nōnunq; ex flaua bile, quæ uel in capite, uel in uentriculo continetur, nonnunquam ex abundantia caput opprimente, uel propter aliquem loci obſtructionem, uel ſpiritu flatuoſo habente in parte ipſa generationem. Quorum nihil talem facit urinā ex neceſſitate. *Capitis doloris cauſæ.*

Vrinæ noctu plurimæ factæ, paruam ſignificant deiectionem. 4.83. Si quantum aſſumimus, ut inquit Oribaſius, tantum in nutrimentum uerteretur noxium eſſet corpori. Si igitur magna fiat concoctio in uentriculo, deiectio alui minor erit, & iecinori ſubminiſtratur maxima pars nutrimenti, ac plus deſcendit in ueſicam quàm in uentrem: quia urina eſt colamentum ſanguinis ex iecinore uenientis. Si uero minor fuerit concoctio in uentriculo, maxima erit excretio alui, & minus miniſtrabitur iocinori, quanto autem minus habuerit iecur, tanto minus erit urinæ.

Loco urinæ, ſponte ſanguinem mingentibus, à renibus uenulam ruptam ſignificatur. 4.78. Ora uenarum illarum aperta non uniuerſim ſanguinem effundunt ſed paulatim, atq; tenuiorem percolant, unde totam urinam ſubſanguineam efficiunt. Fit & uenis ueſicæ ex exeſione laborantibus ſanguinis euacuatio, quam antecedunt ulceris ſigna in ueſica exiſtentis, hoc eſt & loci dolor & pus & ipſius corporis ueſicæ quædam ueluti fruſtula. Sponte autem pro repente accipere oportet.

Sangui-

Sanguinem mingens aut grumos,uel ſtillicidium urinæ habens. Quære, Sanguinem.

Quibus in urina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, his ueſica ſcabie laborat.4.77. Hoc etiam in Maraſmo & in Hectica febre ſimiliter fieri dicit Oribaſius: ſed in illis to ta corporis habitudo conſumitur, in ſcabie autem ueſicæ tantum furfurea quædam ſunt in urina,quia non ex alio lo co poteſt urina ducere furfures,quàm ueſica. Galenus, Sicut corporis ſuperficies,inquit,quam cutem ſuperiorem no minant,in ſcabie, lepra, atq; lichenibus tenue quid abijcit, quale quod ſerpentum ſenectus nominatur.Sic ubi in parti bus interioribus ea quæ eſt ueluti cutis,tale aliquid patitur, & caſus erit paſſionis ſimilis, hac ratione & uenæ ipſæ, atq; ueſica ſcabie laborantes furfureos cortices unà cum urinis emittent.

In urina craſſa exiſtente,carunculæ paruæ, aut ueluti ca pilli unà exeunt, his è renibus excernuntur 4.76. Sicut enĩ naturalis calor ſanguinẽ in uenis conſtringens facit grumos,ita in iſtis calor ſuperueniens ex pituita calculos, et ex ſanguine ueluti capillamenta facit in meatibus urinarijs propter qualitatem loci. Quemadmodum figulus ex argilla humida facit figuram aliquam, & ad ignem apponit, & quod ante fuit lutum,mutatur in lapidem.

In urina ſanguis aut pus,ſignificat aut renum aut ueſicæ exulcerationem. 4.75. Vlcera autem ſi in pene fiant, etiam ſine urinis & pus exit & ſanguis. Quidam legere in hunc modum: Si ſanguinem & pus mingat &c. eo quòd pus ſolum per loca urinæ exiens ſignum eſſe poſſit non modo renum uel ueſicæ exulceratæ, ſed etiam alicuius partium ſuperiorum.

Vrina multa,craſſa & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri, quibus ſperatur abceſſus

abceſſus futurus, liberat ab abſceſſu. 4. 74. Quære abſceſſum futurum ad articulos.

Vrinæ quibus albæ & perſpicuæ malæ, præſertim ſi in delirantibus appareant. 4.72. Vrinæ equidem tales extremã cruditatem ſignificant, quare & morbos longos faciunt. Nullum enim uidi, inquit Galenus, delirantem, in quo talis urina apparuiſſet, ſaluatum. Melius ſiquidem eſt, ut ſicuti totus morbus eſt bilioſus, ſic & urinæ appareant bilioſæ. Aquoſæ autem urinæ (tales enim ſunt albæ atq; perſpicuæ) magnam cruditatem oſtendunt, & præterea flauam bilem ad caput ſolummodo rapi.

Vrinæ quibus craſſæ, grumoſæ, paucæ non ſine febre; multitudo ueniens ex his tenuis iuuat, præcipue uero tales ueniunt quibus ab initio, uel breui ſedimen habent. 4. 69. Omnes urinæ craſſæ & grumoſæ ex craſſa fiunt materia, tales autem non excernuntur ſine febribus. Quod ſi tenues & copioſæ prodierint urinæ, aut per naturam, aut per artem bonum eſt. Oribaſius. Fiunt autem & ſine febribus tales urinæ teſte Galeno, natura expurgante per renes totius corporis ſuperfluitates. In febribus autem magna ex parte ex urinis ab initio tenuibus fit ad craſſiores conuerſio tendente iam morbo ad ſolutionem. Craſſæ quoq; urinæ ſunt paucæ, ut quæ uix renes pertranſeant. Cum itaq; & ſimul maior pars talium humorum malorum fuerit euacuata, ſimul autem & reſiduum concoquitur, tunc excernuntur multo prioribus tenuiores.

Vrina nubeculam habet quarta die rubeam, & alia ex ratione: quibus ſeptima iudicatur. 4.71. Sunt quædam ſigna quæ accidunt ſemper, ſunt quæ non accidunt ſemper. Docuit autem Hippocrates, quòd quartus dies indicet ſextum, ſexto uero ueniente præcedunt ſigna ſeptimi, ut eo ueniente ſit iudicatio, ſicut & nũc docet, Si quarto die præceſſerint

tales urinæ,& adueniente ſexto die fuerit dolor capitis & uirtus calida,ſeptimo die iudicabitur ad ſalutem. Si autem ſexto die adueniente,iſta non acciderint,uel ſi quarto die nō fuerint talia ſigna,non iudicabitur affectio ſeptimo die.

In urinis quibus arenoſa ſubſiſtunt,his ueſica laborat calculo. 4.79. NOTABIS manifeſte errare aphoriſmum, nam & renibus laborantibus arenæ excernuntur cum urina,nihilo ſecius quàm ſi ueſica laboret calculo.

In urinaria fiſtula quibus tubercula naſcuntur,his ſuppuratione facta & eruptione ſolutio.4.82. Contingit enim urinam aliquando retineri ob tale tuberculum,ex cuius diſruptione ſanitas proculdubio ſequetur.

Vrinæ quæ bilioſa habent ſedimina ſupra tenuia, acutū morbum ſignificant. 7.32. Bilioſum enim ſemper acutos morbos operatur. Aduerbium autem Supra nō locum, ſed tempus hoc loco ſignificat,ac ſi diceretur: Vrinarum ſedimina quando ab initio tenuia ſunt,poſtea uero bilioſa fiūt, acutum morbum ſignificant.

Ex urinæ ſtillicidio quibus Ileos ſuperuenerit,in ſeptem diebus pereunt niſi febre ſuperueniente,ſatis urina fluxerit. 6.44. Vide quæ de ſtillicidio urinæ ſuperius recenſuimus. Eſt enim ex his aphoriſmis unus,quos legitimos Galenus non habet dicere.

In urinis quibuſcunque fiunt ſedimina,ueluti farina craſſior,longam ægritudinem fore ſignificat. 7.31. Quære in litera f,lineam primam.

Vrinæ difficultatem uena ſecta iuuat,ſecare uero interiores.6.36. NOTABIS melius eſſe hunc aphoriſmum unū putare ex adiectis. Venæ nanque ſectio ſoluit difficultatem urinæ,illam uidelicet quæ propter inflammationem & multitudinem fit. Quod autem interiores manuum uenas incidere iubet,neque confeſſum neque conſentiens Hippocrati.

In his

In his enim quæ ſupra iecur ſunt ex manibus ſanguinem mittere: in inferioribus uero eas quæ in genu uel talo ſunt, ſecari iubet in monumentis ſuis.

Vrinæ ſtillicidiū, & mingendi difficultatem, uini potio & uenæ ſectio ſoluit, incidere autem interiores. 7.48.

Vrinæ quibuſcunq; diſtantes ſunt, his turbatio fortis in corpore fit. 7.33. Vrinæ diſtantes ſunt quibus inæqualis eſt ſubſtantia, quæ fortem perturbationem ſignificat. Nam ſuperante natura, omnia æqualiter unita ſunt: ægris uero cauſis tumultuantibus, ac renitentibus & illud quod obtinetur & concoquitur aliam habet formam. Renitens atq; tumultuans aliam, & quando plura huiuſcemodi fuerint uariam magis oſtendūt urinarum inæqualitatem, & eius cauſam perturbationem. *Diſtantes urinæ.*

In urinis bullæ ſubſiſtentes morbum renalem & longum ſignificant. 7.34. Bullæ fiunt quando humor tenacior circumextenditur ſpiritui flatuoſo, quæ bullæ ſunt ſtabiles & difficulter ſolubiles. Cum igitur ſpiritus unà cum urinis excernitur, ſignum eſt frigidæ ægritudinis renum, quæ aggregat ſpiritum flatuoſum atq; ægritudo futura eſt longa. Frigidum enim omne eſt difficulter ſolubile, & uix coctionem admittit, atq; ideo diu durat. *Bullæ in urina.*

Vrinis ſubſidens pingue ac ſimul totum, his renum uitium acutum ſignificatur. 7.35. Galen. inſidens cenſet legendum. Inſidet enim ſemper quod pingue eſt, non ſubſidet. Innuit autem Hippocrates adipis renum colliquationem. In aliis enim partibus corporis adipes colliquantur paulatim & non uniuerſim cum urina exeunt, primum colliquatione recepta à uenis illi uicinis, deinde ab his quæ continuantur, & rurſus ab aliis donec ad renes perueniat. Adipis uero circa renes colliquati tranſſumptio ad urinas celerrima eſt, & non paulatim ſed ſimul tota fit, atq; ideo in renibus ipſis diſpoſitionem eſſe monſtratur.

Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, his ſuppuratione facta, & eruptione, ſoluitur dolor. 7. 57. NOTABIS hunc Aphoriſmum bis eſſe expreſſum, proinde ex ante dictis eſt eius expoſitio colligenda.

Vſtum iecur ſuppuratum pus reddens purum & album, ægrũ euaſurũ ſignificat: in tunica enĩ his pus continetur, ſi uero qualis amurca fluat, pereũt. 7. 45. Quære pus album.

Vtero gerentem quære in dictione grauida.

In utero mulieris grauidæ Eryſipelas, letale. 5. 43. Ignis ſacer acuti morbi ſpecies eſt, qui ſi mulieri in utero habenti acciderit, mortem infert, quia duas res natura ferre non poteſt, morbum uidelicet acutum & infantem. Oribaſius.

Vterus ſi in coxam uergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum fieri. 5. 47. Linamentum nominauit, quum neceſſarium eſt fieri per linea fila curationem ad exteriora. Vetuſtior translator pro linamento, quod Hippo. ἔμετον uocat, modo cõmotũ modo liciniũ trãſtulit. Verba Hip. hæc ſunt; ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ ἀνάγκη ἔμετον γενέσθαι. Fortaſſis autem alia fuit olim lectio. Nam & uetus translatio ſuffumigij meminit, pro illis partibus inſtituendi, & Oribaſius in hunc modum enarrat aphoriſmum. Vterus, dicens, in coxa poſitus, ſi aut intus, aut foris ſuppuretur, ne fœtus, ſi forte habuerit, moueatur, thymiama ei adhibebis, cum lentiſcino aut aliquo ſimili.

Vtero quæ gerunt, his uteri os comprimitur. 5. 51. Ad huius aphoriſmi explanationem plurimum facerent libri Galeni de ſemine & de formatione fœtuũ. Maximum enĩ eſt hoc mulieris quæ concepit indicium, ſi obſtetrix poterit immiſſo digito os uteri tangere. Comprobat hoc lib. 3. de Potentijs Naturalibus cap. 2. dicens, Hæc non effingimus, ſed longa experientia ab omnibus obſeruata inuenimus. Siquidem Herophilus ſcribit, quòd neq; acinus ſpecilli inſtrumen-

ſtrumenti Chirurgici os uuluæ reciperet antequam fœmina pariat, & quod nec minimum quidem diſtat, ſi prægnans eſſe cœperit, & quod longe magis idem os adaperitur cum menſtrua feruntur.

Trãslator ãtiqor aciẽ ingredi os matricis poſtq̃ cõcepit fœtũ nõ poſſe, interpretat9 eſt

Vteri os quibus durum eſt, his comprimi eſt neceſſariũ. 5.54. In grauidis idem os molle eſt & ſecundum naturam. In inflammationibus autem & tumoribus præter naturam, ſiue inflammationi ſiue duriciei ſimilibus, durum. Adſerit eandem hanc ſententiam li. 3. fol. 2. de Facul. Natu.

Vtero aut recto inteſtino inflammationẽ patiente, urinæ ſtillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ aduenit ſtillicidium, iecinore autem inflammationem patiente ſingultus aduenit, 5.58. Quære, Inteſtinum rectum.

Vteros frigidos & ſpiſſos habentes non concipiunt. Et quæcunq; prahumidos uteros habent non concipiunt, extingitur enim in eis genitura. Et quæcunq; ſiccos magis & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunq; uero ex utriſq; mediam habent temperaturam, hæ ſunt fœcundæ. 5.62. Quære, Concipiunt minime,

Vteri orificia. Quære in craſſis non concipientibus.

In uulneribus fortibus & prauis ſi non appareat tumor, ingens malum. 5.66. Galenus in hunc modum explicat. Vulnera praua exiſtimandũ eſt, quæ ſunt in capitibus aut finibus muſculorum, & maxime neruoſorum. Nam in capitibus muſculorum, muſculis nerui adnaſcuntur, ex finibus autem quæ græce dicuntur tenontes, latine tendones uel tendines ſeu chordæ oriuntur. Sicut igitur prius damnabat omnes tumores repente euaneſcentes, ita nunc illos qui neq; omnino adueniũt uulneribus prauis. Nam in his ſuſpicandum eſt, ne humores ad uulnera defluentes, ad partes principaliores tranſmutentur, in illis præſertim uulneribus, in quibus adeſt dolor, & propter ipſum omnino aliquid in-

Muſculus. Neruus. Tenõtes. Tẽdones.

s 3 fluit

fluit. A' medicis autem reprimitur cũ ualde refrigerantibus aut aſtringentibus medicamentis, ſicuti ſi dolor abſit neq; fluctio mouetur. Maxime autem dolores patiuntur partes nerioſæ, quæ medicinas calefacientes atq; exiccãtes deſiderant. Quarũ ueram medendi rationẽ primus Galenus inuenit, omnibus in ea re ſuperioribus ipſo medicis delirantibus. Omnes enim præſidio, quod ἔναιμον & glutinatorium appellant uſi ſunt, poſtea calida aqua liberaliter fouebãt, ac tritici farinam ex hydrelæo decocta cum oleo applicabant. Quare pauciſſimi curati, ſed potius perditi ſuperuixerunt. Quoniã uero omnia ex humiditate & calore putreſcere cognoſcebat, curationẽ per ſiccantia refrigerãtiaq; moliendã eſſe deprehendit. Sed quia frigidũ inimicũ oſſibus & neruis, optimum fore neruis uulneratis medicamentum intellexit, quod & ſiccaret, & caloris frigoriſq; particeps eſſet, etenim calor citra humiditatem putrefacere nihil habet. Vide li. 3. ca. 2. De compoſitione medicamentorum κατὰ γένη.

Vulnera circum glabra praua ſunt. 6. 4. Quando uideris pilos defluentes à circũiacentibus ulceri locis, uel cutẽ ſquamulas è ſumma parte demittere, ſcias his qui ita ſe habent, prauos humores ad partem confluere, qui ulcus erodunt. Neq; enim radices pilorum poſſunt corrumpere, loca autẽ ulcerata permittere ad cicatricem peruenire.

Finis ſeptem librorum Aphoriſmorum
Hippocratis.

CHRISTO GLORIA.

PERORATIO.

Contigimus optatam metam illuſtriſſime Princeps, ad ſeriem alphabeti & recitando & interpretando ſummo pere commendabiles atq; utiles illos ſeptem Aphoriſmorũ Hippocratis libros. Quorum ſententiæ perquam uerſatiles ad genera morborum omnium ſunt accõmodatiſſimæ, nempe quas tam crebro Apollinis illi Symmyſtæ Medici in ore habent, & has nunquam non crepant ad quoſcunq; ægrotos diuerterint. Parum quippe curandi ſunt nobis faſtidioſi quidam, qui ita à nouis lucubrationibus abhorrere uideri uolunt, ut nihil eos pudeat, ſi balbutiendo & obtrectando uel mente capti exiſtimentur, Hui dicentes, quid opus nouis ſcriptoribus? nondum ars medica à tot authoribus, Hippocrate, Galeno, Paulo, Oribaſio & alijs ſatis eſt perſcripta? Crederet illis uero aliquis, niſi res ipſa loqueretur, acriter eſſe ad laborandum, ut quoquo modo fieri poſſit, medicina etiam hodie illuſtretur ſcriptorum literarijs monumentis. Neq; enim nimium eſſe uidetur quodcunq; pro ægrotis iuuandis ſcribitur, res nanq; talis eſt ſæpe morbus, ut qui quum fores pulſet, nihil queat eſſe ſuperfluum, ut inquiratur exquiſitum remedium quod languorem tollat. Proinde coercitis & repreſſis illis, qui hoc piaculum, inexpiabile exiſtimant, curabo tamen poſt hac, ut ꝙ minimum imminuatur lucubrationum numerus. Tua uero illuſtriſſima amplitudo noſtros libellos non ab re fortaſſis locum aliquem in Bibliotheca illa celeberrima occupare permittet: quam quum optimorum authorum chartaceis opeꝛibus inſtruere ſolitus fueris, futurum arbitror, ut parem cum illis Bibliothecarum inſtauratoribus laudem perpetuo ſis habiturus, Ptolemæo Aegyptiorum rege, Matthia

Coruino

Coruino Pannoniæ rege, & Nicolao Quinto Pontifice maximo. Nam ut reliquos taceam, idem Pōtifex ut Bibliothecam Romanam hac gemma precioſiſſima decoraret, quinq; aureorum nummorum millia ſe numeraturum illi pollicebatur, quicunq; Diui Matthæi Euangelium Hebraica lingua conſcriptum aut offerre, aut in publicum edere non dignaretur, ſed non eſt inuentus in uaſtiſſimo Christianorum orbe, qui procudendum daret. Vale multum Chriſtianiſſime Pontifex, & C. T. me plurimum habeat commendatum.

Euangeliū S. Matthæi Hebraicum.

GLORIA CHRISTO.

EPIDEMIORVM

HIPPOCRATIS VNICI MEDI-
CORVM PHOENICIS LIBER SEXTVS CON-
ducibilibus Aphoriſmis atq; ſententijs refertiſſimus, atq;
adeo dignus qui perpetuo ſit in ore ſtudioſorum omnium.
Vt autem fermè de quauis materia & hypotheſi medica le-
ctori ſtatim diſſerere liceat, hoc placuit officij impartiri, ut
ad ordinem alphabeti librum totum retextum, atq;
breuibus Scholijs illuſtratum procudi à Chal-
cographis curaremus in publicum.
Omnia ad filum neoterici translatoris [redacted]
ante cuius interpretationem Latinis ferè hic
liber fuit inacceſſus.

Numerus primus particulã, ſecundus ubiq; aphoriſmũ ſignificat.

ABdominis & iliorũ tumores ſoluuntur per ex-
crementorũ multorũ alui euacuatione. 2. 26.
Abeuntia cognoſcere oportet, unde nimirũ
cœperũt, aut ubi ceſſarũt, quatenusq; diſſipa-
rũt, Colores eorundẽ, caliditatẽ, ſalſuginẽ, dul-
cedinẽ, tenuitatẽ, craſſitudinẽ, æqualitẽ uel inæqualitẽ, corpus
ad tempus, permutationes quales ex qualibus habẽt. 8. 21.
Per abeuntia intelligit omnia corporis excrementa, egeſti-
onem, urinam, ſudorem, ſputum, uomitum &c.
Adamantus melancholicus quærẽdus in melancholico.
Aegrotis grata ſunt hæc. Cibus & potus pure conficiãtur, pura ſint quæcũq; uiderint, & mollia quæ attigerint, reliqua uero non ualde lædant, & facilè reparabilia ſint, ueluti frigida aqua ubi ea opus eſt. Item introitus, ſermones, figura, ueſtitus, tonſura, ungues, odores, ægroto grata ſint. 4. 7.
Aegroto ſermonibus ſilentioq; gratificandum eſt: dicere ſcilicet quæ uult, idq; ſermonibus quibus loquitur, ſiue magni ſiue multi, ueri ſiue ficti fuerint. 8, 20.

Aër conſiderandus eſt, num calidior, frigidior, craſſior, tenuior, ſiccior, humidior, minus aut plus implens, & quales in his permutationes fiant. 8. 18. Nam temperatus aër eſt ſaluberrimus temperatæ conſtitutioni corporis, in reliquis contraria qualitas eſt commendabilis. Conſiderandum etiam num craſſus, nebuloſus aut purus exiſtat. Optimus ẽm habetur, qui plane purus eſt, nec ſtagni aut paludis halitu infectus, aut fimo inquinatus, nec uicino flumine nebuloſus, aut ſpecu profundo auram expirans peſtilentem.

Aenus oppidum habetur in leguminibus.

Aeſtatis morbi (hoc eſt morbi calidi & ſicci) quinto die, [redacted]diores faciunt eruptiones. 6. 24. hoc eſt, expulſiones iudicatorias, ut ſunt proluuium ſanguinis narium, ſudores, urinæ, alui excrementa, abſceſſus.

Aetas ab ætate diſcernenda eſt (aliter enim pueris, aliter iuuenibus, aliter ſenibus eſt medicandum, quemadmodum oſtenditur 1. Aphoriſmorum 2.) & num antea uel poſt factus ſit morbus ꝙ oporteat, ueluti ſi hyeme ſolutus eſt. Et ſeni iuxta ætatem aut puero, & in æſtate antea uel poſtꝙ deceat (ut ſi ardens febris in hyeme, apoplexia & quotidiana in æſtate fiant, calidi enim morbi calido tempori congruũt, frigidi frigido; proinde fortiſſimam cauſam adeſſe oportet, quæ apoplexiam in æſtate, febrem ardentem in hyeme efficiat) Deinde ſubdit exemplum prædictorum dicens: ut dentium exitus, pilorum in pudendis eruptio, ſemen magis & minus, capillorum augmentum, craſſitudo, potentia, diminutio. 8. 30. Per exitum dentium, intelligit ætatem in qua dentire incipiunt pueri. Per eruptionem pilorum in pudendis, pubertatem. Per ſemen, ætatem in qua ſemen primum profunditur, quæ occipit quum uox in aſperum ſonum mutatur. Per magis & minus intelligendi qui abſunt ab ætate in qua ſemen primo excernitur, minus enim abſunt qui in conſiſten-

conſiſtendi ætate degunt, magis qui ſenectutem attingunt. Per pilorum augmentum, ætatem in qua pili in pudendis amplius erumpunt, ut eſt adoleſcentia. Poſtrema tria quaſi per epilogum omnes ætates compræhenduntur, per craſſitudinem ætas puerilis: per potentiam, uirilis, in qua omnia ſolent eſſe firmiora: per diminutionem ſenectus ſignificatur, in qua uires corporis decreſcunt.

Agaſios puellam, quære in pectore tuberculum.

Alatæ naturæ propter imbecillitatē caloris innati & uirtutis naturalis fiunt. 3. 15. Quando enim ab initio calor naturalis & uirtus uitalis imbecilles fuerint, thorax paruus & anguſtus permanet, talisq́ʒ diſpoſitio cre[illegible] hoc eſt, alatam, ſiue ad tabem idoneam appellant.

Amphigenis famulum, quære in urina craſſa alba.

Anima hominis ſemper producitur ad mortem uſqʒ, ſi uero inflammatur ſimul cum morbo & anima & corpus depaſcitur. 5. 5. Per animam innatum nobis calorem intelligit, eo quòd uita in eo haud aliter quàm in anima conſiſtit.

Animi exercitiū hominibus eſt meditatio ſeu cura. 5. 22.

Animi cogitatio perpēdenda eſt. Num ſcilicet ſua ſponte quis ſine inſtrumentis cauſisq́ʒ triſtetur (hoc enim atram biſem declarat ex 6. Aphoriſmorū 28) aut lætetur (quod eſt ſignum deſipientiæ, ex 6. Aphoriſmorum 53.) timeat, confidat, ſperet deſperetq́ʒ, ueluti puella Hippothoi in animo ſuo per ſeipſam gnara erat eorum quæ in morbo acciderant. 8. 29. Innuit hic Hippocrates Melancholicos uarijs imaginationibus obnoxios fieri. Alius enim ſe uas eſſe uitreum credebat, alius teſtam, alius gallum gallinaceum, alius ſe caput habere plumbeum putabat. Quibus aliquando perit imaginatio, quandoqʒ ratiocinatio, nōnunquam ambæ actiones. Theopilo itaqʒ medico, apud Galenum de Symptomaton cauſſis, qui rite ratiocinabatur & omniū recordabatur etiā

t 2 poſt

poſt morbi finem: imaginabatur tamen falſo tibicines & cãtores in angulo cubiculi ſui noctesq́ dies'q́ adſiſtere, atq́ ſomnum omnem & quietem perturbare. Cui non abſimilis puella Hippothoi, in qua licet imaginatio non rite procederet, ratiocinatio tamen & memoria conſtantes permanſerunt, & omniũ quæ in morbo acciderant gnara erat. Quam obrem Hippocr. hic dicit animi cogitationem eſſe perpendendam.

Animus contrarius & non conſentiens morbo, medicamenti uice eſt. 5.7.

Anni tempus, quære, tempus anni.

Anno in occaſum uergente, id eſt, ad autumni naturam accedente, generantur aſcarides, hoc eſt, tenues lumbrici. 1. 14. Ver apud Hippocratẽ matutino tempori, æſtas meridiei, autumnus occaſui, hyems autem noctui aſſimilatur.

Antipariſtaſin quære in aphoriſmo, Frigidior homo.

Appetentiam cibi faciunt aqua & uigiliæ. 4. 18. Græce ſic ὕδωρ βορὸν καὶ ἀγρυπνίη βορόν. Translator antiquus uerbum uerbo reddendo dixit. Aqua uorabilis, & uigilia uorabilis.

Aquæ refrigerandæ ſunt multi modi. Aut enim decoquẽda eſt in uaſe non pleno. Aut per appoſitionem rei frigidæ (ut niuis uel aquæ frigidæ extrinſecus admotæ, uel per appoſitionem intellige operculum, ita ut uas operculatum in frigidum puteum immitti queat, donec refrigeretur in eo liquor) 4. 8.

Aquarum inartificialium quæ quidem ab æthere ſereno aut cum tonitru delabitur, bona eſt: quæ uero procelloſa mala. 4. 17. Illic enim ſol leuiſſimũ tenuiſſimumq́ trahit ex aquis, mari & alijs corporibus. Hic uero ex craſſo & frigido aëre fit aquæ conſtitutio, accedente etiam frigidorum uentorum impetu tenuiores eius partes exprimente, adeo ut nil niſi craſſum relinquatur.

Aqua

Aqua inter cutem quæratur in hydropē.

Aquæ & uigilia cibi faciunt appetentiam. 4. 18.

Arteria ſanguinis multitudine calidiſſima exiſtente, fuliginoſum quid ſuboritur, id quod confeſtim excernitur. 6. 2. Probatur hac gnome expultrix partium facultas, contra Eraſiſtratum & Aſclepiadem, qui hanc ipſam negauerunt.

Articulis quale inſit contemplandum, an nō ſcilicet ſuppurent. 8. 43. Hoc eſt num flatuoſus ſpiritus, aut pituita multa neruis impacta dolorem efficiat uidēdum eſt Chirurgis: qui nōnunquam ſuppurationem ſubeſſe opinantes, incidunt genuum tumores ad neruorū uſq; diſſectionem perfringentes, unde ſectionem perpeſſi, claudicationi ilico fiunt obnoxij.

Auditus quidam meliores, quidam uero moleſtantes. 8. 16. Indicat Hippocrates non eſſe loquenda quæ ægrum offendant, nec quæ ſubito gaudio afficiant, nam hac apprime utile eſt ad ſanitatem recuperandam.

Aues ſunt biliosæ. 6. 11. Bilis enim abundat in ijs quicunq; utuntur exercitio multo.

Auium genus abundat, ſiccitate exiſtente immodica in terra. 4. 24.

Auris ſi doleat, lana circa digitū conuoluta calidā unctionem inſtilla (oleum tepidum iterum atq; iterum infunde) Deinde lanam manus uolæ imponens, aure ſuppone, donec tibi quid exijſſe uideatur, poſtea in ignē proijcito: deceptio. 5. 13. Pus uero in ignem proiectum optimum eſt quod nō fœtet, nec graue olet: ſi contrarium letale eſt. Cæterū per deceptionem uult, quòd ſi oleum ægro nihil cōtulerit, & dolor perſeuerauerit, tūc decipi ſenſum per ſtupefacientia conuenire, cuius generis ſunt, opium Thebanum, mandragora & hyoſcyamus.

Iuxta aures tumores circa iudicationem facti, non ſup-

purati, ſi curentur, ijs fit recidiua, & rurſus tumeſcunt & permanent. 4. 1.

Aurium ſordes dulces mortales (quia cerebri colliquationem ſignificant) amaræ uero non. 5. 19.

Auriũ dolores in profundo meatus auditorij ut plurimũ tertio die perimunt. 6. 15. & 3. Præſagiorum 15.

Autumni morbi ſunt qui à feris nomina acceperunt, ut elephas, cancer, lumbrici, quibus connumerandi ſunt dolores oris uentriculi, horrores à rodentibus humoribus excitati, quartanæ. 1. 13.

Bilem generant omnia pinguia. 5. 14.

Bilis acris & acutæ ſignum eſt nimia caliditas. 6. 12.

Apoſtemata peſtilentia. Bubones ſignificant membra unde ſuppullulant. 2. 4. Nam ſi in collo emerſerint, cerebrum: cum uero ſub axillis cor: ſi in inguinibus, iecur affectum eſſe, ab eoq́; profluxiſſe redundantias has indicant.

Bubones excitãtur (qui ſunt tumores partiũ laxarũ quas adenas appellant) iecoraria affecta: id quod & arteriæ male affectæ ſignũ eſſe poteſt, ueluti in Poſſidonia euenit. 7. 4.

Calidæ naturæ conuenit refrigeratio, aquæ potio, quies. 4. 13.

Calido uehementer, intrinſecus eo quòd editur & bibitur, refrigeratio fit. Extrinſecus uero noxa fit ſole, calore, ueſtitu tempore æſtiuo: frigido autem contra. 5. 35. Poſteriora uerba innuunt huic intrinſecus calefactionem prodeſſe: extrinſecus uero ſolem, calorem, æſtum, ueſtitum calidum non officere.

Capita acuminata habentes cum ceruice ualida, reliquo etiam corpore ualidi ſunt. 1. 2.

Capitis parte poſteriori dolẽte, in fronte recta uena inciſa profuit.

profuit. 2. 17. Intellige corpore prius euacuato, præcipue ſi corpus fuerit repletum.

Caput hulcus depaſcens curauit quidam cum alumine uſto. Idem habuit tamen & alium abſceſſum, & deceſſit os ix. die, quod ſub aure eſt, uulnus autem ſuperne ad uerticem habebat. 4. 5.

Caput naturam oſſium declarat, necnon neruorum, uenarum, arteriarum, carnium, ſuperiorum & inferiorum uentriculorum, mentis & morum. 6. 27. Si enim decentis magnitudinis fuerit caput, magna & ſpinalis medulla erit, cui quoq; uertebræ, thorax, dorſum & omnia ab eodem orta oſſa reſpondebũt. Nerui quoq; ab eo & à ſpinali medulla procedunt. Arteriæ magnæ cordis magnitudinem ſequuntur, cor autem thoracis, & ob capitis magnitudinem & calorem magnum & ipſum euadit, ſimiliter omnes cauitates totius corporis.

Candidos, hoc eſt canos, uel ſenes febricitantes quære in febricitantibus.

Carnem ſuillam quære in extenuationibus corporis.

Carnes ex uentriculo & extrorſus tractrices eſſe manifeſtum eſt ſenſui. Siquidem foras introq; ſpirabile uniuerſum corpus eſt. 6. 1. Vult quòd carnes trahant ſuccum ex cibis & potibus conuenientem ex quo nutriuntur. Extrorſum autem cum ex ultimis partibus corporis quæ ad cutem ſunt ad inteſtina atq; uentriculum uſq; alimentum in longa inedia retrahunt.

Catarrhum quære in deſtillationibus.

Cauſæ uim, effectum, utilitatem & neceſſitatem quære in Similitudine.

Cauſas unde cœperint ægrotare, contemplari oportet. Signum ſunt dentes & inguina. 3. 26. Dentes autem quũ eroſione tentantur eximendi ſunt; ſi uero inflammationem

ſuſtineant, medicamentis hanc prohibẽtibus utendum eſt.
Inguinibus, ſi ab hulceribus uel doloribus propinquarum partium afficiantur, medicamenta refrigerantia adhibere conuenit: ſi à uenenatis humoribus, nequaquam.

Cherionem quære in mutatione morborum.

Cibaria ac pocula ualida (quæ uidelicet fortem & grauẽ uirtutem & qualitatem habent, ut allia, cepe, piper & ſimilia) calido præditos uentriculo turbant. 5. 24.

Cibos præcedant exercitia. 4. 28.

Cibi imbecilliores (ſicut caules omnes, & quæ naſcuntur in cauliculis, ut cucumis, cucurbita) momentaneam uitam habent. 5. 21. Per momentaneam uitam cibos intellige, qui cito ex corpore uacuantur: uel quòd faciant ut hi qui ipſis ueſcuntur ſint breuioris uitæ.

Cognatum contemplandum, & quod per ſe ipſum fit, quantoq; magis & minus. 8. 31. Hoc eſt medicus conſiderare debet num morbus ſit à parentibus contractus, an proprio uictu, & proprio delicto inuaſerit: ut ſi podagra aut renum morbus cognatus ſit, nunq; aut difficillime curabitur.

Coitus (hoc eſt tempus adoleſcentiæ quo iam quis per ætatem rei uenereæ operam dare poſſet) ſanat morbos incrementum accipientes. 5. 26. Hippocrates ſentire hic exiſtimandus eſt, de morbis qui pueris accidunt, & incrementa accipiunt ad tempus uſq; pubertatis, ueluti epilepſia.

Coli dolorem quære in inteſtino dextro.

Comitialis morbus puerorum aliquorum cum pubertate mutationem habet. 1. 4. Quære Epilepſiam, & rurſus quære, Melancholici magna ex parte.

Conſuetudo conſideranda eſt, qualis nam quum ſani ſuimus, in uictu, regumentis, laboribus, ſomno, Venereis, & mente fuerit. 8. 44. Innuit diuus Hippocrates hoc ſermone, res illas quas medici noſtrates non naturales appellant.

Res nõ naturales.

Galenus

Galenus uero cap.84. Artis medicinalis, uocat cauſas corpus neceſſario alterantes. Nam aërem quidem nos ambientem ſemper attingere, comedereq́;, ac bibere, & uigilare & dormire eſt neceſſarium. Circa quæ etiam uerſatur ars corporum conſeruatrix. De cibo præcipit 2. Victus Acutorum. 22. Siue bis, dicens, ſiue ſemel duntaxat in die quis cibum accipere ſolitus eſt, ſi ſubito conſuetudinem mutauerit, noxā imbecillitatemq́; ſubibit. 2. per tegumenta intelligit aërē, de quo plura in dictione Aëris require. 3. eſt albor ſeu exercitium. Scribit enim 2. Aphoriſmorum 49. Qui conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles & ſenes, non conſuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quære dictionem, labor. 4. Somnus contemplandus eſt. nam ut 2. Præſagiorū 11. declaratur: Sicuti ſani ſolent interdiu uigilare, noctu dormire, à qua conſuetudine ſi quis aberrauerit, peius erit. 5. Venus debet eſſe mediocris, ſub qua & aliæ inanitionis ſpecies compræhendūtur. 6. Diſcendum eſt, qualis mens eius qui iam ægrotat per ſanitatē fuerit. Si quis æger nimium triſtatur, melancholia inualeſcit. Si nimiū lætatur deſipientia, ueluti in animi cogitationibus ſuperius eſt dictum.

Cauſæ corpus neceſſario alterantes.

Contraria ſenſim adhibenda, ac interquieſcendum. 2. 16.

Corpora noſtra conſtituunt continentia, contenta, & impetum facientia. 8. 19. Hæc ſunt quæ in corpore habentur, ſolida, humida, & ſpiritus. Solida enim continent humores, humores à ſolidis continentur. Spiritus autem undiquaq; momento temporis corpus facile & citra impedimentum penetrant.

Coxendix morbus accidit mulieribus ex deſtructione fœtus in utero, & ex tumoribus uteri. 1. 1.

Ad coxam defluxus, uenæ quæ poſt aures ſunt inciſæ conueniunt. 5. 22. Hæ tamē ſectæ ſterilitatem conciliāt, in libro Hip. περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων.

u Coxen-

Coxendix à frigido humore, pituita uidelicet, ut plurimum fieri ſolet. 1.7.

Cranon urbs eſt Theſſaliæ in qua deprehendit Hippocrates morbos uetuſtos à frigidis, nouos autem & breues à calidis humoribus proceſſiſſe. 1.7.

Criſin bonam & criſin malam, quære in dictionibus Græcis. κατ' ἴξιν,

Criſis imperfecta facta eſt, neq; ſatis euacuati ſunt, qui poſt criſin habent faciem rubicundiorem: præcipue qui natura reliquis ſunt magis albi, neq; his ſanguis ex naribus profluit, aut parum tantum profluit: & ſi quid ex emanantibus relinquitur, abſceſſus ex morbo ſperandus eſt. Et quia humores morbum facientes non ſunt perfecte ablati, ſitis, oris ſiccitas atq; inſuauitas, & cibi faſtidium remanet. Febris non acuta, quæ recidiuam facit. 2.9. & 10.

Crurium debilitas uel ante uel poſt morbum, ſtatim iter facienti accidit. Quia forte quid ex laboribus in articulos decumbit. 1.11.

Cubilia conſideranda, in quibus & à quibus. 8.28. Vt uidelicet frigida ſint, & in frigido loco, ſi calidus ſit morbus, & contra. Nonnunq; etiam mutanda ſunt, ſicut & terræ mutatio perſæpe prodeſt.

Curandi rationem Medicorum Rationalium, quære in Similitudinibus.

Cutis ubi raritas, ibi uentris denſitudo. Vbi cutis adſtrictio, ibidem carnium augmentum. Vbi uentris torpedo, illic uniuerſorum turbatio, uaſorum immundicia, cerebri diminutio: propterea & caluitium, inſtrumentorumq; attritio. 3.1.

Cutis rara ob calorem euadit, atq; in ea ipſa pili prodeũt. Exemplo ſunt fœmora & cubitus. 3.26.

Cutis in extenuatione corporis laxatur, deinde indurata [intenditur.

intenditur. Refectio contra. Sic mammæ laxantur, graciles uero attolluntur & intenduntur, non propterea quòd carneſcant, ſed quia extenuantur. Et eadem cauſa iuguli fiunt conſpicui, & uenæ conſpicuæ. 3. 23.

Cutes circumtẽſæ, aridæ & duræ, ſine ſudore morituros: quibus uero laxæ, cum ſudore. 6. 16. Vide Galenum ſuper 71. Aphoriſmorum. 5.

DEntium dolori à craſſis humoribus de capite deſcendentibus proueniẽti piper congruit. Hegeſippo itaq; medicamentum ſomniferum nõ contulit, ſed dolorem auxit. 6. 26. Stuporem enim inducentia medicamenta ſunt frigida, & prohibent excretionem craſſorum humorum, unde maiorem quàm prius dolorem exoriturũ clariſſimum eſt. Cæterum piper cum leuore corticis mediani ſambuci, craſſis humoribus dolendi cauſam adminiſtrantibus, doloris dentium eſt medela præſentiſſimum.

Deſipientia liberat urina reſidentiam multam habens. Qualis Dexippi fuit poſt caluitiũ. 6. 22. Huc ſpectat quod tradit idem Hippocrates 72. Aphoriſmorum 4.

In deſtillationibus malignis ſiue excretio fiat, ſiue non fiat, malum. 3. 15.

Dexippum quære in Deſipientia.

Dilatanda ſunt quædam, alia conſtringenda, humores hos expellere, illos ſiccare, id eſt, diſcutientibus medicamentis educere, hos inducere oportet, uidelicet per cibum & potum, ubi ex defectu morbus oritur. 2. 1. Inſinuat autem hac gnome, contraria contrariorum eſſe remedia.

Diſpenſatio circa ægrum proſpicienda eſt, & in morbo interrogatio, qualia ſint quæ narrat æger, ut accipiendi ſint ſermones, item quæ ad ægrotantem & quæ ad aſſidentes, quæq; ad exteriora attinent. 2, 21.

Dolorũ mitigationem & curam perdocet Hippocrates Particula 6. Aphoriſm. 7. Quarum prima doloris proximũ uentrem purgare iubet, hoc eſt, proximam cauitatem. Sic quæ in primis uenis abundant per ſeceſſum euacuãda ſunt. Quæ in iecinore, per urinam: quæ in toto corpore, per ſudores; quæ in capite per palatum uel nares; quæ in pectore per guttur: quæ in renibus uel ueſica per urinam. Secunda curatio doloris eſt uenæ ſectio, quum ſanguis in corpore abundauerit, uel inflammatione pars aliqua laborauerit. Tertia eſt uſtio, quæ fit ferro candenti in malicioſis ulceribus, in Iſchiade & ſimilibus, in ſuppuratis &c. Quarta eſt ſectio, qua utendum ubi pus in ſpacio aliquo continetur, & in hydrope. Quinta eſt calefactio, & hæc fit balneis aut fomentis. Sexta eſt refrigeratio, quæ calidam intemperiem mitigat. Septima eſt ſternutamentum: medetur enim capitis doloribus ex flatuoſo ſpiritu prouenientibus. Octauam præſtant plantarum ſucci medicamentoſi, quos addiſcere poteris ex deſcriptoribus Simplicium medicamentorum, quorum præcipui ſunt Dioſcorides Anazarbenſis, Galenus, Paulus Aeginites, Aetius, Plinius Nouocomenſis, Oribaſius Sardonicus. Nonam facit Hippocrates Cyceon, quod prodeſt ubi calefactione atq; diaphoreſi fuerit opus. Eſt autem miſtura ex uino, melle, aqua & farina conflata. 6. 7.

Dyſenteriæ diuturnæ inediæ ex faſtidio malum, præſertim ſi ſimul febricitent, 8. 1. Idem tradit 6. Aphoriſmorum 3. Et Galenus ibidem.

Elleborum quiſpiam bibens, aut aliud pharmacum laxatiuum, ſi uelit celerius purgari, lauare præcedenti die aut comedere oportet. 5. 28. Intellige cibos qui extenuent atq; incidant craſſos & tenaces humores, necnon cibos qui humectent.

Embryon, quære in fœtu.

Epilepſia

Epileſpſiam quære in quartana febri,& rurſus in Comitiali morbo.

Eruum comedentes tempore famis,quære legumina.

Eryſipelas quære in igni ſacro

Excrementa corporis omnia,quære Abeuntia.

Exercitia fiant ante cibum.4.28.

Expulſionem num natura inceperit & non præualuerit conſiderandum eſt. 8.22. Certum enim tunc eſt morbũ non integre eſſe iudicatum: unde niſi natura adiuuetur in expellendo recidiua expectanda eſt, ut docetur 2. Aphoriſmorũ 22. Si autem expulſionem non ſolum incepit, ſed integre perfecit,morboq́ꝫ præualuit, nihil opus eſt medicamentis. Cuius hæc ſunt ſigna: ſi uidelicet excrementorum fit expulſio in diebus decretorijs, & poſtea ægrotus morbum facile tolerat.

Expultricem facultatem uide aſſertam in aphoriſmo, Arteria ſanguinis.

Extenuanda quæ craſſa & pinguia nimium exiſtunt, Impinguanda uero quæ extenuata ſunt. 2.2.

Extenuatio nimiũ impinguati fit curſibus,lucta,& quiete(poſt exercitium quidem priuſq́ꝫ cibum capias)multis celeribus deambulationibus,elixa maza plurima,paneq́ꝫ modico.3.2. Maza eſt farina oleo & aqua ſubacta. Quidam panem bis coctum,quidam panem iure madefactum eſſe adſerunt,cibum uidelicet qui parum nutriat.

In extenuando corpore præpingui, eandem diei horam obſeruabis. ſubito enim & ſemper ſubeundo labores conſidet, exhauritur & totum concidit corpus.3.3.

Extenuationis in exercitationibus ſignũ eſt,ſudor guttatim manãs,qui tanq́ꝫ e riuulis egreditur,aut compreſſio poſt tumorem.3.5. Tunc enim ab exercitio abſiſtendum eſt, ne boni ſucci nonnihil educatur.

Quum uero iam conciderit corpus, carnes ſuillas aſſas adhibere conuenit. Vbi implentur, ſignum eſt quòd corpus ſit floridum 3.4.

FAcies bona in magnis malis ſignum bonum eſt. Contraria uero etiam in paruis morbis malũ ſignũ eſt. 2. 24.

Febrium & aliorum morborum initia ſcire multum confert. Aeſtas eñ illis addit celeritatẽ, hyems tarditatem, in occaſu enim, hoc eſt, in autumno exacerbantur. 1. 14.

Febrium nonnullæ ſunt inflatæ, aliæ aſpectu graues, aliæ ad manum humidæ. 1. 18. In hunc modum Hippocrates deſcribit febres, Diarias, Hecticas & humorales.

Febre tertiana exorta, ſi quarto die ſanguis ex naribus erumpat, criſis difficilis futura eſt. 2. 12. Quia in die iudicatoria non eſt facta illa eruptio, ſed potius ob uim morbi, aut materiæ multitudinem.

Febricitãtes interfecit Prodicus medicus curſibus, luctis & fomentis. Febrilis enim calor inimicus multis deambulationibus, inediæ frictioniq́ʒ. Quoniam autem labori labore medebatur, ideo quibuſdam uenarum rubor, alijs liuor, alijs pallor, laterumq́ʒ dolores molles acciderunt. 3. 24.

Febres longas hulcera & tubercula facta iudicant, quibus uero non fiunt, & intemperantia intus relinquitur, ijs recidiuæ, certiſſimæ & uelociſſimæ fiunt. 3. 27.

Febrem quartanam quære in quartana.

Febricitent ne candidi, hoc eſt cani ſenes, conſiderandum eſt, horum quoqʒ labia, qualis etiam modus, & quæ tempora. 8. 35. Senes nanqʒ raro febriunt, quia calorem imbecillum habent: ſi febriunt uehemens cauſa ſubſit neceſſe eſt: unde periculo exponuntur. Nam uehementem & ualidum ignem eſſe oportet, qui ardere poſſit in medijs undis. Labia quoqʒ exulcerantur ob magnitudinem febris. Eſt & contemplandus

plandus modus febris. Quippe ſi uehemens ſit, moriturus eſt ſenex, & modicus calor natiuus ab externo uehementiori extinguetur. Tēpus quoq; reputabis in animo: æſtiuæ eñi minus periculoſæ, hyeme periculoſiſſimæ iudicandæ erunt.

Febres in quibus labia ulcerantur æqualiter intermittũt: tertianis enim refrigerationes ſunt. Ardentes autem ſemper ad manum confeſtim ſolutæ ſunt. 8.42. Febres in quibus labia ulcerantur ſunt febres ardentes, quas ita differre dicit à Tertiana, quòd illæ æqualiter remittunt, neq; ad inſebricitationem perueniunt, donec ex integro ſoluantur. Tertianæ autem refrigerationes habent, & ad intermiſſionem perueniunt paulatim, redeuntq; ad ſuos circuitus, & ſunt longæ, reſpectu ardentium, quæ ſunt breues, ut manu adhibita mox calorem ſolui ſentiamus. Eſtq; in ardente caliditas uehementior, ob quam & labia ulcerantur, in Tertiana autem mitior.

Figuræ refocillant. Quidam enim ſarmenta plicans & manu torquens, muſculum manus peruertit. Præ doloribus autem decumbens (in lecto aut ſcamno) ſummum paxilli ſuffixi apprehendens retinuit, atq; ita muſculum contortum hac figura rurſus ad ſuum naturalem ſitum repoſuit, melius ſe habuit, & dolor omnis ceſſauit. 3. 13.

Fœtus corruptionē in utero ſeqtur grauitas capitis. 1. 1.

Fœtus formationem & partũ quære in Grauidis.

Fortitudinem animi inter medicamenta non poſtrema recenſeri, in aphoriſmo. Animus contrarius &c.

Fridigior homo in tempore & regione frigidis, calidior erit. 6.6. Per Antipariſtaſin enim denſiora tunc redduntur ea quæ circa cutem ſunt, extremamq; corporis ſuperficiem, unde calor in profundum ſecedere & fortior fieri cogitur.

Frigidũ auxiliat̃ & occidit quæcunq; ſunt ex calido. 5. 8.

Frigidũ ualde qualis nix & glacies uenas rumpit, tuſſim mouet,

mouet & conſtringit, ueluti Pherea & Gangronæ, Concau ſa uero durities. 3. 11. Pherea autem ſunt tumores circa aures longiores prominentioresq́ꝫ, ſic appellati, quòd ſimilitudinem referant φηρῶν, hoc eſt Satyrorum, quos oblongas circa aures eminentias habere ſcribunt. Homerus. 1. Iliados uidetur uſurpaſſe pro centauris.

καρτισοι μὲν ἔσαν καὶ καρτίσοις ἐμάχοντο
φηρσὶν ὀρεσκώοισι, καὶ ἐκπάγλως ἀπόλεσαν.

Gongronæ uero ſunt rotundiores gutturis cum quadam duritie eminentiæ, quales ſunt quæ fiunt in arboribus quas Græci uocant γόγγρους.

Functiones, corpusq́ꝫ obſeruare oportet, qualis eſt uiſus, auditus, olfactus, tactus, lingua & cogitatio. 8. 36. Pars em̃ quæ munijs ſuis ad uitam neceſſarijs citra noxam fungitur, ſana: ægrota uero eſt, quæ munus ſuum obire recte nequit.

Furorem futurum ſignificat uox, ſi natura non irato talis ſit, qualis eſt iratis, & oculi qui natura terribiles ſunt, & quales ijs qui iraſcuntur. Si iam non tales ueternũ indicat. 7. 12.

GEnerationem maris aut fœminæ quære in dictione Maſculi.

Genua in tumorẽ eleuata quære in Hydropicorũ inciſiõe.

Ad Gephyram cuidam ob læſam circa lumbos ſpinalem medullam, fœmora ſunt attenuata. 3. 14.

Gingiuarum & nariũ ſuppurationes ſeptimo die erumpunt. 6. 25.

Grauidis quibus nihil læſionis accidit intra conſtitutum tempus, ijs partus & fœtus uitales fiunt. 8. 6. Læſiones ſunt ut hyems auſtralis & pluuioſa, uer ſiccum, & aquilonium, faciunt ut in uere abortiãt grauidæ. Item nimium alui profluuium, febris, ſaltus impetuoſus &c̃.

In grauidis contemplandũ eſt in quibus menſibus erumpentia

pentia fiant. 8. 7. Per erumpentia intelligit menſes, qui ſi eant ſemel aut iterum in grauida,nihil portendunt mali, ſi uero ſæpius ſolito more profluant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. 5. Apho. 6.

In grauidis labores fiunt per circuitus. Fœtus enim qui in ſeptuaginta diebus mouetur, triplicitate perficitur. 8. 8. Vt plurimum autem labores tertio, quinto, ſeptimo, nono: quarto, ſexto & octauo menſibus fiunt: quæ ex parua tabella contemplanda ueniunt. 8. 12. Inſignis hic locus eſt, quem Iureconſulti citant in lege, Septimo menſe, digeſtis de Statu hominum. Septimo menſe naſci perfectum partum iam receptum eſt propter authoritatem doctiſſimi uiri Hippocratis. Et ideo credendum eſt eum qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus eſt, legitimum eſſe filium. Aphoriſmus aũt prior, qui adſerit labores fieri per circuitus, accipiendus eſt iuxta eam ſententiam, quam in libro de alimentis enunciat, dicens: 35. dies fœtum formant, 70. mouent, 210. perficiunt. Nam dies ab hora conceptionis ad diem uſq; formationis fœtus duplicati diem motus, & dies motus triplicati, diem & menſem perfectionis indicant, pro uno menſe 30. dies ſupputando. Vt ſi corpus infantis 35. diebus formetur, die 70. fit motus, quia bis 35. conſtituunt 70. perficitur uero die 210. quia ter 70. ſunt 210. hoc eſt menſes ſeptem. Eadẽ ratione ſi fœtus 40. die formetur, 80. die fiet motus, octauo menſe perficietur. Et ſi 45. die formetur, 90. mouebitur, nono menſe in lucem prodibit partus. Cæterum per labores in altero Aphoriſmo intelligit Hippocrates quicquid grauidis accidit, ut fœtus formatio, abortus, motus, pfectio. Singula eñ hæc ſtato temporum circuitu fiunt.

Grypalopiga in Thaſo, quære in ſemine genitali.

Hæmorrhoides habentes neq; laterum morbo, nec pulmonis

monis inflammatione, neq; phagedena, neq; furunculis, neq; terminthis, nec lepra, neq; uitiliginibus, corripiuntur. Importunè itaq; ſanati his euadunt obnoxij. Sic & abſceſſus & fiſtulæ aliorum morborum medela ſunt. 3. 29.

Hæmorrhoides profluentes ſanant atram bilem. 5. 25.

Hegeſippum quære in Dentium dolore.

Hippothoi puellam, quære in animi cogitatione.

Humorem nocuum non prodeuntem oportet educere; prodeuntem ſua ſponte in exeundo iuuare, ſimile facere, ut quum natura humorem aliquem euacuat, medicus pharmaco illius humoris eductiuo utatur. 2. 3.

Humorum malignorum remedia ſunt lac, allium, uinum feruidum, acetum & ſal. 6. 7. Lac rodentes obtundit, allium & uinum feruidum refrigerantes, acetum craſſos extenuat & incidit, ſal expellit penitus è corpore noxios humores.

Hydropicos citius incidere, tabidos confeſtim urere, caputq; ſecare oportet. 7. 9.

In hydrope Aſcite ante mortem tendebatur uenter, umbilicusq; prominens extendebatur. 7. 7.

Hydropicum incidendo, tangenda non eſt pars quæ ſub imo uentre eſt (ne aqua uniuerſim euacuetur, & æger moriatur, uti docetur in lib. 6. Aphoriſmorum 27.) neq; ea quæ intro ſunt (ne inteſtina attingas) Simile enim genibus accidit. 7. 10. Genua quippe aliquando ob flatus collectos intumeſcunt. Vnde Chirurgi indocti pus ineſſe rati, inciſionem admoliuntur, & quum non effluat quicq; puris, profundius incidunt, neruosq; hoc pacto cum magno ægrorum periculo ſauciant.

IEcinoris lobus (hoc eſt fibra ſuperior) plicatus erat (ex caſu fortaſſis aut ex lucta) Vnde plurimum idem homo doluit,

doluit. Sed Hippocrates corpus eiuſdem concuſſit in altum attollendo, quare partes plicatæ illico dolore ſedato, in priſtinum habitum ſunt reuerſæ. 8. 52.

Iecoraria affecta bubones fiunt. Vide bubones.

Ignis ſacer quibuſdam à ceruice oriebatur, & in facie iudicabatur. Quibus uero in ceruice nigra erant, malum portendebat. (quia ignita illa rubedo in nigredinem uertebatur: neq; ijs ſacer ignis iudicatus eſt, quia ſanguis niger craſſusq; confluens non potuit expurgari.) Et quibus puſtulæ Phlyctænæ, ſimiles his quæ per ignem fiunt (quoniam ſignificabant putreſcentes atq; exulcerantes humores) Perturbentia, malum. 8. 40. Poſtrema illa particula uentris perturbationem inter praua accidentia recenſet, ideo quòd qui uentris perturbatione laborabant, non naturæ induſtria ac motu aluus ſoluebatur, ſed ob malorum potius humorum uim & copiam. 8. 40.

Infantium tuſſicula ſoluitur trifariam, aut per tumores & abſceſſus articulorum, aut per hulcera non rotunda inferne erumpentia, aut per ſanguinis narium eruptionem. 1. 15.

Inſpiratio frequens & uelox fit in ijs, quibus pulmo ſupra modum calidus & ſiccus eſt. Immodice uero euacuatum ſomnus multum exiccat. 5. 31.

Inteſtini dextri, hoc eſt Coli dolor, morbo articulari quietus factus, eo ſanato plus doluit quidam. 4. 3. Quoniam fortaſſis idem Colicus reprimentibus intempeſtiue medicamentis eſt uſus.

Inteſtina craſſiora canis inſtar habet homo: maiora tamen pendẽt ex Meſocolo, hoc eſt, meſenterio inferiori, hoc autem ex neruis à lumbis ſub uentre. 4. 6.

Iracundia reuellit calidum & humidum ad cor (ex locis quæ circa iecur ſunt) pulmonem & caput. Lætitia uero ijſdem cor liberat. 5. 9.

Iudicationem quære in Criſi.

KATˀἶξιν, id eſt è directo & in eodem latere ſuperuacuorum expulſiones bonæ ſunt, è regione uero & ex aduerſo factæ, malæ. Quandoquidem hoc debilem uirtutem, nec rite à ſuperuacuis eſſe expurgatum membrum affectum, aut ſuperuacuorum miram multitudinem ſignificat. Naturæ itaq; motu quæ inferne ſurſum permutantur, ſecun dum rectum fiunt, ut dolor laterum, præcordiorum diſtentiones, lienis tumores, ſanguinis ex naribus eruptiones, & quæ in aures & oculos procumbũt. Quæ uero ſuperne deorſum non item. Excepta angina, quæ ſecundum rectum per mutationem habet: ita ut ſi dextra colli pars angina laboret, dextrum latus corripiat pleuritis. 2.7.

Kriſin bonam & criſin malam inuenies legendo paragraphon κατˀἶξιν.

Kriſi futura nox ante acceſſionem grauis eſt, quæ uero ſubſequitur leuior. 2.13.

LAbia ulcerata, quære in febribus in quibus labia exulcerantur.

Labores id eſt, exercitia, ſomni, ocia, atq; uigiliæ contemplanda ſunt. 8.26. Omnia enim hæc debent eſſe mediocria ex 5. Apho. lib. 6.

Labor cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia conuenit eſſe mediocria. 6.5.

Labores cibos præcedant. 4.28.

Labor articulis & carnibus, cibus uero & ſomnus uiſceribus prodeſt. 5.10.

Laboranti qui non fuerit purgatus, ulcera erũpent. 5.33.

Lachrymæ in acutis morbis male habentibus ultro manantes, bonum; non ultro uero malum. 1.6.

Lachrymæ

Lachrymæ expendendæ ſunt, ſi ultro uel inuito, multæ uel paucæ, calidæ uel frigidæ ac craſſæ promanauerint. 8. 23. Talem enim quales ipſæ ſunt humorem abundare in cerebro, ſignificant.

Lapidis concretio puerulis poſt urinam iam fit, quia ſunt calidiores. 3. 12.

Lecto coercendi ſunt timidi, in quo decumbunt, quum mutatione opus fuerit, excitandiq́ torpentes ad ea quæ ſeriꝰ agunt. 7. 8. Si lecto plus æquo innixi fuerint, ultra debitum tempus torpeſcentes iam poſtq́ nonnihil conualeſcere cœperunt, prohibendi ſunt.

Lectum quære in cubili.

Legumina in Aeno Thraciæ oppido continuo comedentibus, propter immenſam & publicam famem, crurium imbecillitates fiebant permanebantq́. Eruo autem ueſcentibus genuum dolores accidebant. 4. 11. Legumina enim hæc flatuoſum corpori præbent alimentum, unde ob conuenientis alimenti defectum omnia membra, præcipuè uero pedes debilitantur.

Liene deorſum uergente (hoc eſt, liene in inferioribus ſuis partibus tumeſcente) pedes & genua calent, naſus uero & aures frigent, fortaſſis ob craſſum ſanguinem qui deorſum uergit. 2. 28.

Lienis inferne quatuor ſunt differentiæ: Lien rotundus, latus, craſſus, & longus. Qui à capite deſtillationibus laborant, his lien minime durus efficitur. 2. 30. Deſtillationes enim frequenter à pituitoſo humore aut tenui & aquoſo fiunt: tumor autem lienis à craſſo, denſo & ſpiſſo.

Lingua humorum indicat ſerum. Croceæ enim linguæ à bile, rubræ à ſanguine, nigræ ab atra bile, albæ à pituita fiunt, aridæ à fuliginoſa uſtione atq́ uteri parte. 5. 14.

Lingua ſibi dominantibus concolor exiſtit, iccirco hac cognoſcuntur humores. 5.16.

A' lingua qualia ex qualibus aſciſcantur conſiderandum eſt. 8.17. Num uidelicet antea dulcibus, nunc uero amaris oblectetur, id quod naturalem linguæ habitum uariatum, uel alieno humore eſſe imbutam declarat.

In lippitudinibus & in ulceribus tumores & liuores cum impetu rumpuntur. Sed in tuberculis quæ Phymata appellantur, & in ſuppurationibus non ita fieri ſolet. 8.38. Nam ea quæ ex his effluunt, fortaſſis per aluum deijciuntur. Per lippitudines uero intelligit inflammationes candidæ partis oculorum.

Luctas fieri nonunquam cum uitæ periculo Hippocrates ſubſcripta hiſtoria confirmat. Stheneos cuſtos paleſtræ in Abdera urbe Thraciæ luctabatur cum multo fortiore, ceciditque in caput. Digreſſus deinde aquam frigidam copioſe bibit, & nocte illa, moleſtia, uigiliæ, extremitatumque frigiditas ſunt ſecuta. Poſtridie glande ſedi inſerta nihil egeſſit, parum minxit; antea enim nihil meiere poterat; Noctem uerſus lotus eſt, ſed nihilo ſecius uigiliæ & moleſtia perſeuerauerunt. Tertio die extremitatum frigiditas facta eſt calefactusque ſudauit. Eodemque die mulſum bibens efflauit animam. 8.54.

MAmmarum ſi papillæ, & rubrum circa eaſdem croceum ſit, morboſus eſt uterus. 5.18.

Mares quia in dextris, & calidiore uteri parte concipiuntur, ideo nigri: & propter hoc ijs etiam uenæ magnæ atque bilioſiores ſunt. 2.32. Ii celeriter concreti & formati in utero quum mouentur ceſſant & tardius augentur prolixiorique tempore. 2.33.

Mas ideo ualidior eſt & bilioſior & ſanguinolentior: quo niam

niam locus animalium in quo concipitur calidior eſt. 2.34.

Maſculi & fœminæ generationem ſi ſcire uelis, ubi poſt pueriIis uocis mutationem, aſperiorem uocem reddere inceperit aduleſcens: uter teſtis in tumorem eleuetur, & alte ro magis promineat, conſiderandum eſt. Siquidem dexter, maſculum, ſi uero ſiniſter, fœminam generabit. 4. 25.

Maſculus fœtus citius per membra diſcretus poſtꝗ̃ mouetur tardius augetur. 8. 11. Hoc eſt, mares citius in utero formantur & in ſua membra diſcernuntur. Poſtquàm uero mouentur & in lucem prodeunt, tardius ad augmentum perueniunt. Fœmellæ contra tardius in ſua membra in utero conformantur, & citius ad augmentum ob humiditatem perueniunt.

Maturare quæ uolumus obſtruere oportet (per Emplaſtica uidelicet, quæ poros ac meatus corporis & cutis obſtruũt) Contraria uero ſiccare & aperire (quæ uidelicet ma turationi non obediunt, ſed putreſcũt ſub Emplaſticis) quũ potius aperienda, excindenda & exiccanda ſunt. 2. 21.

Meatus aperire conuenit ueluti nares. 2. 23. Perdocet hic Aphoriſmus quæuis loca eſſe aperienda, per quæ corpo ris ſuperuacua excernuntur: ut ſunt nares, guttur, aluus, uterus, ueſica. Per hæc enim purgantur à ſuperuacuis, cerebrum, inteſtina, renes & iecinoris gibba.

Medendi ſumma ex natiuitate, cauſa, multis ægri ſermo nibus, ex multis paulatim cognitis pdiſcendis. Si ſimilia aut diſſimilia naturæ ægroti inter ſe ſint, ut ex diſſimilitudine fiat ſimilitudo una. Sic recte ſe habentium exploratio, & non recte ſe habentium probatio. 3. 17. Per natiuitatem in tellige ea quæ à natura inſunt, id eſt, res naturales: per cau ſas uero, res contra naturam.

Medicamenti uice eſt contrarium eſſe & minime conſentire morbo, 5. 7. Vide commentarios noſtros, quos ſu-

perioribus

perioribus diebus emiſimus in libros Galeni de locis Affe-ctis,li.6.cap.5. Qui enim à rabidis canibus mordentur,plerunq; expaueſcunt & auerſantur aquã,atq; ſic affecti commoriuntur,appellaturq; hic morbus Hydrophobia, id eſt, aquæ timor. Philoſophus autem quidã morſus à cane rabido,& egregia fortitudine animi imaginationi reſiſtens, dũ ſibi canis ſpectrum appareret in aquis balnei, diu intra ſe meditatus eſt,& quid,inquit,cõmune eſt cani cum balneo? Balneum ingreſſus,& imperterritus aquam bibit, atq; ita morbum ſuperauit,& ſanitatem adeptus eſt.

Medici culpa nõ fit quo minus curentur quidam morbi. Nã & Hippocrates medicorum Sol,de ijs qui ex crebra Auſtralium niuoſorum & Aquilonariũ mutatione tuſſi & febre correpti fuerãt,poſt ſolſtitia hyberna, ingenue teſtatur ſe curare non potuiſſe,in hunc modũ: Citiſſime moriebãtur quũ rigore febrili rigerẽt. Iis neq; reprimẽtia medicamẽta, neq; pturbatio uẽtris,neq; uenæ ſectio,neq; etiã quæcunq; alia quæ tentaui, alicuius momenti auxiliũ attulere.7.2.

Melancholicũ fit corpus bilioſum & ſanguineũ, ubi nõ habuerit effluxũ. 6.28. Per effluxum intellige difflationẽ, perſpirationem & euaporationem corporis, ſiue manifeſtam ſiue occultam.

Melancholicus Adamantus nomine à multa Pepliorum comeſtione aliquando nigra uomunt. Id quod & aliàs à cepis etiam factũ eſt. 8.41.

Medicinæ rationalis medendi Methodum integram, quære in ſimilitudinibus in litera S.

Melancholici magna ex parte Comitiali morbo affici conſueuerunt,& contra morbo Comitiali laborantes efficiuntur Melancholici. Horum uero utrumlibet magis accidit,pro ut uel in hanc uel in illam partem infirmitas repit. Si enim in corpus,Epileptici: ſi uero in mẽtem Melancho-

lici

ſici redduntur. 8. 55. Leonhardus Fuchſius, qui ſextum hunc Epidemiorum librum, medico nomine digniſſimis expoſiti onibus enarrauit, quæ in hunc locũ ſcripſit libitũ eſt hic re petere. Bilem atram dicens, quum cerebro ueluti parti inſtrumentali nocet, ad cerebri corpus conuerti, prodit Hippocrates: id quod in obſtructionibus fieri conſtat. Quum uero temperamentum mutando, ei ut ſimilari nocet, ad mentem eam repere dicit. Adeoq́ ut antea quum in corpus cerebri conuertebatur obſtructionemq́ gignebat, Comitialem morbum, ita iam quum ad mentem repit, ob cerebri temperaturæ mutationem melancholian efficit.

Membrum unum alterius membri redundantias ſuſcipit, aut ob dolorem, aut grauitatem multorum humorum, aut quia inter ſe communitatem habent. Sunt & aliæ cauſæ, ut acre medicamentum, caliditas, frictio. 3. 30.

Membra hæc citius morbo obnoxia eſſe, quibus in ſanitate aliquis potiſſimum per forte exercitium utitur, monſtrat Hippocrates, dicens. Poſt crebram Auſtralium, Aquilonarium, niuoſorumq́ mutationem, circa ſolſtitia hyberna 15. aut 20 die: qui uoce plus defatigati fuerant, ijs in anginas magis tuſſes finiebãt. Qui uero manibus laborauerant, manibus reſoluebãtur. Qui equitauerant frequentius, uel plurimum iter confecerant, uel cruribus defatigati fuerant, ijs in lumbis aut cruribus reſolutiones, in fœmoribus uero & ſuris laſſitudo dolorq́ fiebant. 6. 1.

Membri minus nobilis ad nobilius dolorem recurrere malum oſtendit Hippocrates uerbis ſequentibus. Lumbis dolentibus recurſus ad latus & tuberculum, quod Seps uocatur, malum. 8. 3. & 2. Præſagiorum 7. Tales enim purulenti admodum fiunt, & Seps tuberculum quaſi putreſcens dicitur, & purulentum omnem corporis habitum deſtruens inſtar Sepis ſerpentis, à quo quicquid attingitur prorſus

putreſcit,ut aperte prodiderunt Plinius,Solinus,& Lucanus. 9. Pharſaliæ.

Menſtrua humidis mulieribus multo tempore durant, quæ ſi non profluxerint intumeſcere faciunt. 1.6.

Poſt menſes iam dextera uteri patent,iam ſiniſtra. 8. 9. Si itaq; dextera pars uteri magis hiat,mares: ſi ſiniſtra, fœminam concipi rationi conſentaneum eſt.

Menſtruorum retentorum capitalem perniciem oſtendit Hippocrates quibuſdam hiſtorijs, quarum prima hæc eſt. Phaëthuſa Pythei coniunx in Abderis olim exiſtens puella fœcunda erat; marito uero eius in exiliũ fugiente,menſes multo tempore defecerunt. Poſtea dolores & rubores in articulis fiebant. His autem euenientibus, corpus uirile & in uniuerſum hirſutũ ac piloſum eſt factũ,barbamq; emiſit,& uox ipſa aſpera facta eſt. Quum uero omnia quæ ad menſium prouocationẽ neceſſaria eſſent,faceremus,nõ profluxerũt,& non multo poſt mortua eſt.8.56. Induũt uirilitatẽ talium mulierum corpora, & piloſa redduntur, eo quòd ad cutem corporis redundantiæ transferuntur.

Hoc idem accidit Namyſiæ Corippi uxori in Thaſo,medicis equidem omnibus,quos & ego conueni, ſpes una eſſe uidebatur, ut effœminaretur (id eſt,fœmineam naturam induceret,& menſes defluerent)Et cum multa huic feciſſemus, non uenerunt,ſed paulo poſt eſt mortua.8.57.

Circa meſſem tormina,quære in porro.

Morbi connutriti in ſenecta maturatione, diſſolutione, ac raritate deficiunt. 5.6. Morbi innati diutini præſertim calidi ſoluuntur in ſenecta,quia hæc eſt frigida: Maturatione,quoniam hæc mediocrem temperiem inducit: Diſſolutione,id eſt,per occultam difflatioem. Raritate,id eſt,cutis meatibus medici induſtria apertis.

Morbus alius pro alio ſuccedit, 10,6.Exemplũ in promptu habes

ptu habetur de Quartana, quæ curat Epilepſiā. Proluuium alui ſoluit lippitudinem: hæmorrhoides atram bilem: uarices inſaniam: uomitus profluuium alui: & quemadmodum inferius 6. 13. docet, Delirium ſoluit dolorem laterum, licet febris aliquando permaneat donec ſudoribus uel urina, uel aluo integre expurgetur.

Morbi conſiderandi ſunt qui citius cōſueto anni tempore fiunt, ueluti exanthemata, papulæ, & ſimiles (ſcilicet morbi uernales, impetigines, uitiligines, tubercula) 6. 27. Si enim ante uernum tempus accidunt, oſtendunt hyemem in ueris naturam tranſijſſe, ita ſi in uere æſtatis morbi acciderint, ſignum uer æſtatis naturam induiſſe. Quare omnes morbi inconſtantes & mali iudicij erunt. Sicuti docet Hippocrates lib. 3. Aphoriſ. 8.

De morbo uno plurima recte præcipi poſſunt, quædam ut eadem ualentia, quædam uero non, uelut ſunt diffundi, deliteſcere, educi, indurari, molliri, 7. 8.

Morbos generāt ſolis æſtus, frigus, humiditas, ſiccitas, mutatio horū ex quibus in quæ ut ſe habet conſideranda 8. 25.

Morborum ſuperuenientium modi ſunt obſeruandi. Secundo num quis eorum cum uel ſine uomitu inceperit. Tertio an bibentes quid aſtricti, aut modice ſint purgati. 8. 34. Modi morborum ſunt, num ſcilicet in Similaribus aut inſtrumentalibus partibus conſiſtant, aut ſolo qualitatis exceſſu uel defectu, aut ex humoris copia ſint orti. Nec prætereundū an in figura, numero, quantitate aut compoſitione indecenti pars aliqua delinquat. Secūdo contemplandum num morbus cum uomitu inceperit, & æger procliuis ſit ad uomendū, tunc enim uomitoria exhibebis: ſi uero ſine uomitu, contra. Tertio uide ſit ne æger ad inferiores purgationes aptus & difficulter uomat &c.

Morbos qualiter & à quibus in quas ſpecies mutari con-

tingat, & ad quæ loca uerſi ſunt, quando cœperunt (hoc eſt initium morbi) adfuerunt (innuit hæc particula uigorem morbi) atq; ceſſarunt (per quod declinatio indicatur), perpendito. 8.45.

Mortem ægrotantis ſignificant hæc quatuor, diſtenſiones corporis quæ fiunt, nimiam ſiccitatem & frigiditatem. 2. articulorum durities, quæ ob ingentẽ inflammationem contingit. 3. æger reſolutus, ſignificatur enim inde debilitas motiuæ. 4. diſtorſiones uel confractiones articulorum cum peruerſo ordine, aut cum ex rectis flexuoſæ particulæ ſtatuuntur. 1.19.

Mulier naturam uirilem induit, uocem aſperam & cutem hirſutam ex menſibus retentis ſibi aſciſcit. Quære, Menſtruorum retentionem.

Mutationes ſubitæ cauendæ. 3.21. Velut in cibo, non ſit tanta parcitas, ut ad inediam nimiam: nec exercitia adhibeantur tam ardua, ut laſſitudinem: nec potus præſcribas tantam abſtinentiam, ut intollerabilem ſitim inducas.

Mutatio morbi ad alium locum decentem priuſq; male afficiatur æger, fieri debet. Cherioni autem deſtillatio irritata, unde faucium exaſperatio eſt conſecuta. 6.17. Per locum decentem intellige, quòd à loco nobiliori auertendus ſit morbus ad ignobiliorem.

NArium ſanguinis profluuium fit ſubpallideatris (id eſt, ijs in quibus flaua bilis eſt cum atra bile permiſta) uel palliderubeis (hoc eſt, quibus bilis pallida cum ſanguine commiſta eſt) uel ſubpallidis (id eſt, quibus parum bilis pallidæ ineſt) Acquieſcendum aliquantum huic fluxioni, præſertim ubi noxia excernuntur. Deinde obſtruere oportet ſiccis medicamentis, galla & alumine. 3.18. Græcæ compoſitæ dictiũculæ Latine difficulter transferibiles hic erant

annotandæ

annotandæ lectori fortaſſis nonnihil placituræ, inſit enim ſua lingua Hippocrates. αἱμοῤῥαγίαι ἐκ ῥινῶν ἢ τοῖσιν ὑποχλωρομίλασιν, ἢ τοῖσι ἐρυθροχλώροις, ἢ τοῖσιν ὑποχλώροις. βραχέα ὑφαίνται. παχῦναι ξηρῶς, τοῖσι δὲ ἰσθροῖσι ἧσσον παχυσμοῖς. ξηρῶ δὲ δεῖ λευκὰ, δι' κηκίδι, σημεῖα.

Narium ſanguinis profluuio tentantur adulèſcentes, poſtquam rem Veneream peragere, aut hircire, hoc eſt uti uoce aſperiori & uirili occeperint. 5.19.

Narium ſanguinis fluxu cerebro laborantibus, malo colore exiſtentibus, merum modice datum prodeſt. Quibus uero rubri colores fuerint, ijs non ſimiliter confert. 6.19.

Nares natura humidiores, & ſemen humidius ualetudinem deteriorem ſignificant, quibus uero contraria, ſalubriorem. 6.20. Vide Galenum Aphoriſmum 20. libri 6. Apho.

Narium ſanguinis fluxu nimio morituri in fronte non ſudant, ſed uelut concidentes, id eſt, extenuati & uulnerati (aridas enim & extentas cutes habent uniuerſo humido per uulnus effluente) moriuntur. Peteunt tamen & cum ſudoribus. 7.5. Copioſo enim ſudore accedēte uirtus diſſoluitur. Habetur ſimilis ſententia 71. Aphoriſmorum lib. 5.

Natura morborum eſt medicatrix. 5.1.

Natura ſua ſponte inuenit motiones (hoc eſt, impetum naturæ ad ſuas operationes perficiendas) ut eſt nictare, ac linguam pro formando ſermone mouere, & ſimilia. Hippocrates Græce dixit; δι' τὸ σκαρδαμύσσειν τὰ δὲ καὶ ἡ γλῶσσα ὑπουργέει, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. 5.2.

Natura indocta exiſtit, nec addiſcit facere conuenientia. 5.2. Quoniam citra alterius doctrinam nouit conuenientia operari, Hippocrates dixit; ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει.

Non naturales res, quære in Conſuetudine.

Natura quæ inſunt diſtinguēda ſunt, ab ijs quæ ui morbi

bris extenuatis, recidiuæ fiunt. In extremitate uero ſubrubeæ duræq́ non minus ijs malignæ: Emergentia nanq́ & coarctata in his exiſtunt, ueluti Pharſalo Polymedi accidit. 8. 37. Emergentem inflammationem ob copioſam ſanguinis redundantiam intelligit primo commate: altero uero compreſſam illic & induratam, ac multo iam tempore ibidem contẽtam atq́ infractam materiam ſignificat.

Partes quære in membro.

In pectore tuberculum quum haberet puella Agaſſos, crebras ſpirationes habebat, mulier autem facta non diu à partu leuiter correpta dolore, magnum pondus ſuſtulit, & ſibi in pectore quid crepuiſſe uiſum eſt: difficultas ſpirandi redijt, coxamq́ dextram doluit, qui dolor ſedebatur, ſi quando ſpirãdi difficultas euaneſceret. Dolores præcipue fiebãt, quũ manu laboraret. Hanc arcere allio, porcina, ouina bubulaq́ carne conueniſſet. 4. 4.

Peplion quære, in melancholico Adamanto & Dioſcoride lib. 4. ca. 159.

Phymata quære in tuberculis.

Pinguis redditur homo, qui quum ipſe calidã naturam habeat, & calido tempore in frigido cubiculo dormiat: in calido uero extenuatur. 4. 19.

Pinguia qui comedunt, ijs flaua bilis generatur, nigra uero à ſanguine craſſo. 6. 3.

Piper ſedat dolorem dentium ortum à craſſis humoribus. 6. 26.

Polymedẽ Pharſalũ quære in palpebrarum tumoribus.

Porrum deuoratum circa meſſem tormina & dolores iuxta umbilicum facit accidere, ſimiliter & allium. 8. 39. Habent enim magnam acrimoniam, quam & ſi non continuo oſtendant, poſt unum tamen atq́ alterũ diem affligunt

propter flatus quos generant, ut diligenter prodidit 4. De rat.uic.in morb.acut.84.

Prodicus habetur in Febricitantibus interfectis.

Pulmonis hulcera difficillimæ curationis eſſe Hippocrates oſtendit ſubſcripta ſententia. Cuidam dicens, fiſtula (in pulmonibus) iterum rumpebatur: tuſſis enim perſeuerare prohibuit. 8. 51. Fiſtula aũt eſt hulcus profundum ſinum habens cauum, & callum habens (ſic enim Gal. docet in libro de tumoribus præter naturam) Eius generis cuidam ſanata & conglutinata erat fiſtula in pectore uel pulmonibus, ſed tuſſis ob uehementem concuſſionem illam rumpebat. Huc accedit quod facile quoq; tuſſis ob frequentem cõmotionem caput explet humoribus, qui inde in pulmonem delati, id quod in eo eſt conglutinatum denuo erodunt.

Purgandi per inferna terminus eſt, ut ſanum & innoxium ſeruetur, ſubducta cauſa noxia & moleſtante, ſiue diminuens, ſiue derelinquens, ſiue eijciens, ſiue ſecans, ſiue urens quis fuerit. 6. 18.

Puerorum purgatio fiat: mulieri uel capræ, cuius lacte aluntur, medicamenta purgantia comedenda exhibendo, nam inde lac purgandi uim aſſequitur. 5. 34.

Purgatis qualibus oportet purgare, tũ leuiter ferũt. 4. 10.

Puſtulæ latæ non admodum pruriunt, quales habuit Simon: qui quum ad ignem ungeretur, uel calida lauaretur iuuabatur. Vomitus non expediebat. Puto eum qui calidis fouiſſet, profuturum fuiſſe. 2, 20.

QVartana laborantes à magno morbo non capiuntur. Si uero prius capiantur, quartana ſuperueniente liberantur. 6, 9. Magnus morbus eſt Epilepſia: hæc enim fit ab humoribus frigidis, lentis & pituitoſis uentriculos cerebri obſtruentibus. Calor autem febrilis hos concoquit, & rigor eoſdem excernit.

Quartana

Quartana non deſinit ante annum. 6.23. propter uideꝛ licet frigiditatem & ſiccitatem atræ bilis. Siccũ autem quid quid eſt, difficulter immutatur.

Recidiuam faciunt quæ relinquuntur poſt iudicationẽ. Primumq́ue fit tumor lienis, niſi in articulos decumbãt, aut è nare ſiniſtra ſanguis erumpat; uel, dextri præcordij diſtenſio, niſi urina copioſe profluxerit, aut è nare dextra ſanguis eruperit. 2. 11.

Regij morbi duæ ſpecies, flaua & nigra illa à iecinore fit, ubi per totum corpus flaua bilis: hæc à liene, in qua corpus ob atram bilem per id diffuſum nigrum redditur. 2. 25. Addenda eſt tertia ſpecies, quando per morbi iudicationẽ flaua uel atra bilis ad cutim effunditur.

Renum lapidis dolor grauis eſt, ubi cibo replentur, pituitam uomunt, quũ uero dolores ſuperabundauerint æruginoſa, & leuiores fiunt, ſoluuntur cum cibo uacuantur, arenulæ rufæ ſubſidunt in lotio, cruentum mingunt, ſtupore fœmur tentatur eiuſdem lateris. Non quieſcat æger, ſed exercitetur, non impleatur, iuuenes pharmaco purgentur, poplitis uenam incidant, diureticis purgentur, attenuentur, molliantur. 1. 5.

Reuellere oportet, ſi non quo expedit humores repunt: ſi uero quo decet, tum ijs uiam ſtruere conuenit, ut ſinguli repant. 2. 9.

Reuulſio fit quũ quæ ſurſum repunt perperam, deorſum ſoluuntur: & contra quæ deorſum tendunt, ſurſum ducuntur. Huius manifeſtam habes doctrinam: quum fluxio ad crura decumbit, tunc enim uenas in cubito incidimus, aut uomitum ciemus. Inſuper fluente menſium profluuio cucurbitulas mammis apponentes ſanguinem ſurſum attrahimus. Si repant ad caput humores, medicamentum aluum

ſubducens, & uenæ ſectio, eoſdem trahunt deorſum. 2.3

Renum uitia poſt annos quinquaginta ſanata non uidi. 8.4. Idem pronunciat de renum & ueſicæ uitijs 6. Aphoriſmorum 6. Nam illorum operatio continua eſt, à qua interquieſcere non poſſunt. Medelam itaq; omnem confundunt, perturbant & recuſant.

Recidiuæ minus accidunt ijs, qui à capitis grauedinibus & raucedine febricitant. 3.7. Nam quod ad ſuppurationem ducitur recidiuæ non eſt obnoxium: quoniã ſuppuratio eſt concoctio & maturatio: concocta aũt excernuntur. 3.8.

Res non naturales, quære in conſuetudine.

Rigore creſcente, nequaquam remittitur febris: decreſcente uero, quod fit iuxta uigorem totius morbi, mitigatur. 1. 8.

Rigores quibus fiunt, ijs non fiunt abſceſſus. 1. 10.

Rigores incipiunt ex lumbis magis & per dorſum tendit ad caput. 3. 16. Cauſam reijciunt in partium dorſi frigiditatem.

Rigor à uentre ſuperiore, calor autem ab inferiore magis incipit. 5. 30. Per uentrem ſuperiorem intelligit os uentriculi per inferiorem partem uentriculi inferiorem, in qua cibus corruptus decumbit.

SAlſæ carnes ſi guſtanti apparuerint, ſuperabundantiæ ſignum hoc eſt. 5. 17.

Sanguis ſanioſus eſt uel in timentibus uel in peruigilibus. 2. 27.

Sanguinis declinatio (hoc eſt è uaſis egreſſio) ad alium locum, facit ut non amplius ſanguis purus permaneat, ſed excernatur iuxta cognationem cõmixti humoris. 3. 31.

Sanguinis immodica effuſio hydropis cauſa eſt. 4. 9.

Sanguis emanat ex uulneribus: ſuccurrendum igitur ut uacuum impleatur. 5. 12. Vacuum impletur: Primo per medica-

medicamenta refrigerantia & aſtringentia. Secundo per figuram alio ſpectantem q̃ unde ſanguis ſtillat, quæ facit ad contrarium locum ſanguinem incedere. Tertio per uictum reſtaurantem ſanguinem hunc qui effluxit.

Sanguinem uenarum ſiſtunt animi deliquium (quia ad interna corporis ſanguinem reuocat) Secundo figura aliò ſpectans (ſitu membri unde fluit ſanguis ſurſum uergente) Tertio interceptio uenarum, id eſt, tanta repletio ut nullum in ipſis ſuperſit uacuum ſpacium, quo pacto ita ſiſtatur ſanguis ut ſi uas liquore ſit refertiſſimum, utcunq; terebra perforetur, nihil effluxerit liquoris. Quarto linamenti in orbem conuolutio. Quinto, appoſitio medicinarum obſtruentium, quæ ex craſſa lentaq; ſubſtantia conſiſtunt. Sexto deligatura. 7. 3.

Sanitatis ſtudium cibi inſatietas, & laborum impigrities. Græce ſic: ἄσκησις ὑγιῆς, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων.

Satyrũ in Thaſo Grypalopiga, quære in ſemine genitali.

Sermonibus ægro gratificandum eſt. Quære, Aegro ſermonibus.

Senes febricitantes, quære in febricitantibus.

Semen genitale emittebat ſæpius per ſomnum Satyrus in Thaſo, qui cognomento Grypalopix uocabatur, quum eſſet 25. annorum. Promanauit uero eidem multoties & per diem: poſtq; autem trigeſimum annum iam attingeret, tabidus factus mortuus eſt. 8. 53. Ex hac hiſtoria facile conijcere datur, q̃ ſit damnoſum ualetudini, crebro immundæ Veneri dare operam.

Immũdicici huius meminit Moſes cap 15. libri Vaijkra.

Simonis puſtulas, quære in puſtulis latis.

Similitudines eruditis etiam medicis errores ambiguitatesq; pariunt: at cõtra cauſa ipſa. Noui quòd difficile admodum eſt ratiocinando cognoſcere uias, ueluti ſi acuto ſit capite, ſimus, ſubſiccus, bilioſus, difficulter uomens, niger,

iuuenis,intempeſtiue uictitans,ſimiliter hæc inter ſe paciſci difficile. 8. 50. Empirici autem ſimilitudine tantum utuntur in cognoſcendis morbis. Rationales uero medicos uult Hippocrates cauſam inquirere oportere, & reliquam artē medendi ueram. Quæ docet cognoſcere figurā corporis,ut ſi quis acuminato ſit capite prædítus, aut naribus ſimis. Secundo uerſatur Medicina rationalis in agnitione temperaturæ corporis,num ſit ſiccū,humidū, calidum &c. Tertio in humoris abundantis notitia, ut num flaua bilis aut atra in corpore abundet. Quarto in eo num facile aut difficulter uomat quis,aut ſolui p inferna ſit aptior. Quinto in coloris conſideratione. Nam ex colore abundantem humorem deprehendere poteris, quod Galenus in libro de Melancholia docet. In atra bile,dicens, corporis color ad nigrorē,in ſanguinis abundantia ad ruborem tendit: flaua bilis pallidum,pituita album colorē inducit. Sexto in agnitione ætatis,ſecundum cuius uariationem mutanda ſunt & medicamenta. Septima in recta uictus ratione: num quis intempeſtiue uictitet,unde ualetudinarij homines euadunt omnino.

Sitim arcent,continere os,tacere,auram cū potu frigido inducere. 3. 25. Græce dixit ἄδιψον συνέχειν στόμα, σιγᾶν, ἄνεμον ξὺν τῷ ποτῷ ψυχρὸν εἰσάγειν.

Siti leui ex uigilia,ſomnus remedium eſt, ei uero qui ex ſomno uigilia. 4. 21.

Somnus refrigerat opertum. ὕπνος ἐμψύχει ἐπιβεβλημένῳ. 4. 14. Quia operimenta retrahunt calorem ad ſuperficiem cutis,unde poris apertis acres redundantiæ interiora corporis calefacientes diſſoluuntur & per habitum uacuantur,quo modo interanea refrigerantur.

Somnus profundus ſtanti etiam cupiditatem affert. 4. 15. ὕπνος ἰσχυρὸς, ὀρθῷ νυσταγμός. Significat enim νυστάζειν dormitare

dormitare, ſomnum appetere & conniuere, undè νυσταγμὸς propagatur latinè dicta dormitatio. Sentit autem Hippocrates eos quos profundo ſomno dormire uolumus, tam diu uigilare cogamus, ut ne ſtare quidem præ dormiendi nimia cupiditate queant.

Somno ad interiora ſanguis magis abit. 5. 29.

Somnus exiccat multum, immodice euacuatum. 5. 31.

Quæ in ſomno irritata exacerbataúe ſunt, & quibus extrema frigent, mensq́; perturbatur delirio conſiderato: hæc enim ſignificant humores prauos, quos calor debilis non poteſt concoquere, & ab his uiſcera aggrauantur, ita ut omnia per ſomnum magis irritentur. Quibus uero contraria fiunt, ſalutem promittere licebit. 5. 8. Huc alludit 2. Aphoriſmorum 1. In quo morbo ſomnus laborem facit, letale, ſi uero iuuat non mortale.

Quæ per ſomnum accidunt, nec non inſomnia ipſa conſideranda ſunt. 8. 27. Vt ſuſpectiones oculorum, ubi palpebræ non cõmittuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid appareat, neq; id fluens aluus præceſſit, letale hoc ſignum eſt: præſertim ſi quis ita dormire non fuerit aſſuetus. 1. Præſagiorum 14. Huc ſpectat decubitus non difformis & incompoſitus. Per inſomnium uero, ut teſtatur Galenus super Tertium Epidemiorum ab initio, quum inquit. Si quis incendium uideat per inſomnium, hunc offendit flaua bilis: ſi imbres, abundare frigidum humorem declarant: ſi niuem, glaciem & grandinem, pituitam frigidam. Si quis in fœtido loco ſe eſſe putet, putredinem humorum. Si gallorum criſtas habere, aut rufa quædam, ſanguinẽ exuperare. Si caliginoſa cernere flatus indicat.

Sperma quære in ſemine genitali.

Spirationis ſimplicis Hippocrates ponit quatuor ſpecies: Crebram, raram, magnam & paruam. Similiter & ſpi-

rationis copioſæ commemorat quatuor ſpecies. Paruam & raram, crebram & magnã, paruam & crebram, magnam & raram. 2. 5. Aliquando fit duplex intro reuocatio ueluti ſuper inſpirantibus. 2. 5. Hic tamen locus elegantiſſimus ab unde exponitur à Galeno ſuper 52. Aphoriſmorum lib. 6.

Spiritus irrumpentes, intrantes ac exeuntes conſiderandi ſunt, & corpora quoq;. 8. 15. Aërem ſpiritum irrumpentem dicit. Inſpirationem intrantem, expirationem exeuntem uocat. Irrumpens contemplandus eſt, num purus, craſſus, nebuloſus, calidus an frigidus, humidus uel ſiccus & pro morbi ratione inſtituẽdus. Inſpiratio uero & expiratio contemplanda ſunt, magnæ an paruæ, crebræ an raræ: unde ſalutem aut mortem prædicere licet. Corpora quoq; irrumpentia ſunt obſeruanda, cibi, potus, inunctiones. Exeuntia, alui excrementa, urinæ, ſudores.

Spirantibus difficulter clamore iracundiaq; abſtinere conuenit. 4. 4.

Sputum conſiderandum excreatum ne ſit an tuſſiendo euulſum. 8. 24. Ex faucibus enim & gurgulione ſcreatu: ex ſpiritalibus partibus tuſſi è gula & uentriculo uomitione ex ore ſimplici expuitione expellitur.

Sputa rotunda, quaſi in Pleno erant, delirium portendunt. 3. 28. Caliditas equidem nimia craſſos & glutinoſos aſſans humores rotunda facit ſputa. Immodica uero illa caliditas caput perfacile poteſt replere & delirium progignere. Hanc gnomen repetit Sectione 6. Aphoriſmo 21. & addit. Huic de nare ſiniſtra ſanguis profluxit & quinta die ſolutum eſt.

☙ Stupores ex qualibus fiant, conſiderandum. 6. 14. Fiunt enim uel à refrigerationibus, uel à compreſſione partium neruoſarum, uel à Torpedinis marini piſcis contactu, item ob ignauiam uitæ, ciborum multitudinem, craſſitiem, lentitudinemq;

tudinemq́ꝫ, aliquando propter ſuppreſſionem ſolitæ excretionis. Galenus lib. 1. De Sympromaton cauſſis.

Stheneon in Abderis, quære in lucta.

Syncipitis dolor fit ex tumoribus uteri. 1. 1.

TAbidorum ſpiratio obſcura, malum. 7. 14. Quoniam ſignificat magnam imbecillitatem motricis facultatis, quæ nec pulmonem, neqꝫ thoracem queat attollere.

Ad tabem idoneis flatuoſum concauſa exiſtit, ſunt enim flatuoſi. 3. 10.

Tabidis autumnus malus, malum & uer quando fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. 7. 16. Verum id eſt de ueris initio, quod fermè cum autumno conuenit & inæqualè exiſtit, utpote tam frigidum quàm calidum. Ab initio autem ueris fici folia cornicis ueſtigijs adſimilia uidentur. Probat autem uer tabidis eſſe malum, exemplo quòd in Perintho plurimi fuerint tabidi in uere, potiſſimum eos quos per hyemem tuſſis afflixerat. 7. 16.

Tempora dolorum qui ſunt in lateribus, pectore atqꝫ alijs partibus, ſi multum differant perdiſcere oportet; quando melius habuerint, & rurſus quando peius nihil aberrando. 7. 17. Inde enim ſcire poterimus principiũ, incrementum, uigorem & declinationẽ. Vnde ſalutem aut interitum uaticinari licebit. Vbi enim in dies dolor augetur, prope uigorem morbus exiſtit. Quod ſi peſſima accidentia affuerint, mortem prognoſticaberis. Si uero decreſcat dolor & ſigna bona accedant, declinationem & ſalutem pollicęberis.

Temporum auſtralium aquilonarium, niuoſorumq́ꝫ crebra mutatione, tuſſes circa ſolſtitia hyberna 15. aut 20. die, cœperunt pulmonis inflãmationes. deinde ante æquinoctium pluribus reuertebãtur, idq́ꝫ die 40. ab initio. Quibuſdam fauces inflammabantur, quibuſdam anginæ. quibuſdam

membro-

membrorum reſolutiones, quidam luſcioſi euadebant. 7. 1. Mulieres uero non ſimiliter tuſſi laborabant. In cauſa eſſe putabam, quòd non pariter ut uiri exirent, & quia non eodẽ modo quo uiri morbo corripiuntur. 7. 2.

Tempus anni conſiderandum eſt, num in eo maturius aut ſerius quid factum ſit, & an hora in qua factum eſt, pluuioſa uel ſicca, calida uel frigida, cum uentis uel ſine uentis, quibus uentis perflata, in anni temporisúe principio, medio uel fine, uel ſemper præterita uel præſenti hora fuerit. 8. 32. Vt ſi uerna conſtitutio citius ꝙ conueniat inceperit, aut ſerius finita ſit, ita hyemis pars ueris, huius uero pars æſtatis naturam induent: ſic & morbi temporum illorum cõmutabuntur. Pluuioſo autem tempore graſſantur febres longæ, alui profluuia, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ, anginæ. In ſiccitatibus lippitudines &c. Item ſicca cõſtitutio ſalubrior eſt humida. Si eodem die modo calida temporis ſit hora modo frigida, autumnales morbi inualeſcent. Item Boreales flatus corpora denſant, bene mobilia, coloratiora reddunt, & ſenſus corroborant. Auſtrales corpora diſſoluunt, humectant, capita grauant, uertigines inducunt. 17. Apho. 3.

Tempus morbi & hora & quæ ſuccedunt ſunt perſcrutanda. Circuitus quoq; & horum qui maiores & uehementiores, ac qui multa habent incrementa. Alterius etiã morbi incrementum, remiſſio, uigor, magiſq; ac minus ceſſans, & quando, quomodo, quo tempore & qua ætate. 8. 33.

Terram mutare in diuturnis morbis utile eſt. 5. 20. Poſteaꝙ medicamentis ſcilicet aliquis uſus, neq; reſtitutus ſanitati fuerit.

Terrere debet in quibuſdam incontinens. 8. 46. Hoc eſt, qui neſcit à deſideratis abſtinere cum ſint noxia, ille minis per medicos eſt retrahendus. Neq; tamen ei eſt quouis modo reluctandum. Quum 28. Aphoriſmorum lib. 2. dicat.

Parum

Parum deterior cibus aut potus,ſuauior autem, melioribus quidem,ſed minus ſuauibus eſt præferendus.

Tractricē uirtutē,quā negauit Aſclepiades & Eraſiſtratus approbat in Aphoriſmo,Carnes ex uētriculo tractrices &c.

Tubercula meliora ſunt quæ extumeſcunt, acuta fiunt, eminent & æqualiter cōmaturantur,non circumquaq; dura: quæ inter ſuppurandum uerticem deorſum habent procliuem,non bicipita. Contraria uero omnia mala. 1. 12.

Tuſſis ſicca non maligna,temporū arteriæ non quieſcentes,ſpiritus deficiens,color inelegans,in articulis abſceſſum futurum ſignificant. Quia illorum amplitudo facile decumbentes fluxiones ſuſcipit. Si uero materia tuſſim excitans maligna fuerit,ægrum potius interimit,priuſq; abſceſſus in articulis perficiatur. 2. 9.

Tuſſes ſiccæ leuiter irritantes in febribus ardentibus non ſunt admodū ſiticuloſæ,neq; linguæ aridæ. Et hoc quidem ſi non à maligno humore,ſed uento ortum habuerint. Manifeſtatur id quod quando loquuntur aut os aperiunt,tunc tuſſiunt: quando tacent,non tuſſiunt. Et ſolitum eſt hoc fieri potiſſimum in ijs, qui ex laboribus corporis in frigore aut æſtu febriunt. 2. 14.

Tuſſes ſiccæ laſſitudinem habētibus læſa pertingunt maximè articulos (quia dolor fluxiones ad ſe conuellit & attrahit) Et in febribus laſſitudinē habentibus,tuſſes ſiccæ fiunt, quæ ſi cum febre relinquuntur,in articulos firmantur. 7. 13.

VApor calidus per cutem inter ſigna letalia reputandus eſt (intellige,ſi febris ardens præceſſerit) ubi prius nares frigidum ſpiritum emiſerunt. Vitalia contra. 4. 27. Hoc eſt: Inter uitæ ſigna numerantur,ſi neq; frigidus ſpiritus ex naribus prodierit, neq; per cutem calidus uapor expirauerit.

Vena frontis inciſa profuit, capitis parte poſteriori dolente. 2.17. Quod ſic eſt accipiendum ut corpus prius fuerit euacuatum, præſertim ſi ſit repletum.

Venenatorũ animaliũ remedia pcipua ſunt lac, alliũ & uinum. 6.7. Videndus præterea Dioſcorides li.6.ca.39.

Veneream rem quibuſdam peragẽtibus uenter inflatur, ut Damnagoræ; quibuſdam uero interim dum coẽunt fiunt crepitus uentris, ut Archeſilao. 3.9. & 20.

Venus morbis qui ex pituita ꝓcreantur eſt utilis. 5.23.

Ventriculum calidũ habentes (calore acquiſito & aduentitio) frigidã carnẽ habent & macilenti ſunt, conſpicuasq́ uenas habẽt, ſunt & præterea iracundiores. 4. 23.

Quæ ſunt circa uentriculum frigiditas indurat. 5.27.

Ventrium abundantiæ perturbationem tolerant, ſicut Poſidoniæ accidit. 7.6.

Ventriculi oſtio ueluti Xenarcho, dolente tunc & calidum admodum inſpirare, & ulcus ab initio loco euacuationis calidis medicamentis fouere conuenit. 7.11. Experti ſumus noſipſi ueriſſimum eſſe Aphoriſmum, quum nuper cuidam adoleſcenti animo linquenti adſtaremus. Qui quoniam pernicioſiſſimam infecturam immodico hauſtu ſorbuerat, qua uina noſtratia inficiuntur, præcipue Franconica: ex ore uentriculi tam laborauit perdite, ut quauis fermè hora deliquium animi ſuſtineret. Cui nihil tam gratum & ſalubre accidere poterat, quàm aër calidus, in hypocauſtoq́ decubitus. Cumprimum enim hunc mutaret & in cubili frigido ad dormiendum ſe componeret, utcunq́ reſtitutus recidiuæ erat obnoxius, aut ubi puſillum inſpirauerat frigidi aëris ſyncope laborare cœpit, donec eſt perfecte ſanitatem adſecutus.

Victus debilis frigidus, fortis uero calidus. 4. 16.

Victus fit cibariorum potuumq́ ſatietate atq́ uacuatione.

one. 8. 13. Innuit duplicem eſſe uictum, quendam nutritioni inſeruientem, alterum qui corpus inſtar medicamentorum poſſit uacuare.

Victus ſit in morbo contrarius. 8. 47. Ex communi medendi principio, quo contrarijs contraria curari debere ubiq; ars medica crepat & perſtrepit.

Victus ratio cognoſci debet, hanc enim ignorare multa eſt calamitas. 8. 49. Hippo. Verba ſunt hæc. καὶ δίαιτα ὅσον γνῶναι, μὴ ἐξετάσαι συμφοραὶ γὰρ πολλαί.

Vigilans calidior eſt circa exteriora, frigidior uero circa interiora: dormiens contra. 4. 12.

Vlcera erumpent ſi impurgatus quis laborauerit. 5. 13.

Vmbilicum prominentem quære in Hydrope Aſcite.

Sub umbilico ſi qua ſuppurantur, ijs uenter perturbatur. 2. 29.

Voce magna præditi ſunt quibus eſt calor multus. Etenim calor frigidus inſpiratur plurimus. Duobus enim magnis exiſtentibus, & quæ inde gignuntur magna fiũt. 4. 22.

Vrina craſſa & alba, qualis famulo Amphigenis erat in laborioſis febribus, quando profluit quarto die liberat ab abſceſſu. Si uero ſanguis ex naribus ſufficienter fluxerit prorſus liberat. 4. 2.

Vrina tingitur à cibo, medicamentis, potione, & colliquatione humidorum in corpore, ut adipis, pinguedinis & nonnunquam ſolidarum partiũ, 5. 15. Hæc gnome q̃ futilis ſit ars lotij inſpiciendi; quam quum inſpectores, tum ineptũ uulgus in magno habẽt precio: manifeſte oſtendit.

Vrinæ ſeminis ſpeciẽ referentes in Perintho Thraciæ oppido, iudicatoriæ eorũ quæ circa abdomen erant. 2. 26.

Vteri tumores, grauitas capitis ſequitur. 1. 1.

Vteri humiditas per procedentia cognoſcitur, uictuq; ſicco curatur. 8, 10. Procedentia appellat menſtrua. Vult

quoq; ſterilitatē quæ ex nimia humiditate prouenit curandam eſſe per exiccationem. Nam 62. Aphoriſmorum lib.5. Quæ ualde humidos habent uteros,inquit,non concipiunt, quia ſemen in eis extinguitur.

In uteri affectu ſpiratio obſcura,malum. 7.14. Et Galenus ab initio lib. 6. de Locis Affectis.

Vulnera circum glabra praua ſunt. 8.2. Et Galenus 6. Aphoriſmorum lib. 4.

XEnarchum quære in uentriculi oſtio &c.

FINIS SEXTI EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS.

CHRISTO GLORIA.

HIPPOCRATIS EX VETERI translatione.

ABſceſſus non fiunt in rigoribus. 1. 10.
Autumno ferinum mouetur & graſſatur. 1. 13.
Aſcarides quando multiplicentur. 1. 13.
Adaperire conſtringere. 2. 1.
Attenuare impinguare ubi & quando conueniat. 2. 2.
Circa ægrum interrogationes. 2. 28.
Aſſa magis nutrit quàm elixa. 3. 2. & 3. 3.
Alatis concauſale uentoſum. 3. 8. & rurſum. 3. 13.
Aſthma ſalubrius minus ſonans. 3. 20.
Artheitcus factus ex inteſtini dextri, hoc eſt coli dolore
getior erit, cũ uero hic curatur, ſuperdolentior. 4. 3.
Agaſij puella, 4. 4.
Aſthma ex pondere. 4. 4.
Aegroti munde degant. 4. 7.
Aquæ refrigerandæ quot ſint modi. 4. 9.
Aquæ frigidæ potus in calido pauſare. 4. 14.
Aquæ frigiditas indurat uentrem. 5. 30.
Aquarum inertium tonitrualis bona. 4. 18.
Aqua uorabilis, uigilia uorabilis. 4. 19.
Apoſtaſes ut bubonis blaſtimata indicant. 2. 3.
Apoſtemata quando reuerſionẽ & recidiuã portendãt. 2. 9.
Aues multiplicantur in tempore & anno ſicco. 4. 25.
Auris purganda. 5. 51.
Anima ſemper oritur & moritur. 5. 9.
Animæ exercitium meditatio. 5. 14.
Acredinis ſignum caliditas. 6. 10.
Alienantibus ceſſat Pleuritis. 6. 11.
Auri dolenti calidam unctionem adhibe. 5. 16.
Aurium ſordes dulcis mortalis. 5. 22.

Aurium prurituí retro uenam incide .5. 25.

BRanchos & corryza febribus ſuperueniens. 3. 6.
Bubones fiunt iecoraria affecta, malum etiam ſignum, ſi arteria grauiter affecta fuerit .7. 9.

CApitis figuræ. 1. 2.
Cranon. 1. 7.
Contraria curari contrarijs. 2. 2. & rurſus 2. 1.
Coeffundere. 2. 2. & rurſus 2. 3.
Criſis imperfecta. 2. 7. & 2. 9. & rurſus 2. 10
Criſis dubia in febribus in articulos decumbentibus humoribus. 4. 1.
Corriza. 2. 27.
Creſcit qui tardius mouetur. 2. 31.
Cholericum magis, quod eſt calidius. 2. 32.
Cutis raritas, ubi uentris denſitas. 3. 1.
Cauſum ſubleuat multitudo ſanguinis. 6. 2.
In Cauſo ex ſplene ſudor nimius. 3. 5.
Cholera dulcorata fit ſanguis. 3. 7.
Clauis apparens uenæ manifeſtæ. 3. 28.
Cauſæ primitiuæ. 3. 33.
Cibum quære in nutrimento.
Cibus carni ſomnus uiſceribus .5. 13.
Cibus frigidiſſimus lenticulæ, milium, cenchros, cucurbitæ. 5. 36.
Crura incontentibilia facta ſunt in Aeno legumina per famem comedentibus, Orobum quoq; comedentibus genua tandem dolebant. 4. 12.
Catarrhi purgatio. 3. 14.
Corrhyza febri ſuperueniens bona. 3. 6.
Coniunctio infrigidat ſuperauctiles morbos. 5. 29.

Caput

Caput curationis ex generatione & occaſione & reductio-
ne imparitatis ad paritatem .3. 16. & 5. 21.
Capra laxatiua comedens fit puero purgatiua, 5.38.
Carnes trahunt ex uentre, 6. 1.
Caliditas ſignum acredinis, 6.10.
Calido temperamento congruit frigus, aquæ frigidæ po-
tus, quies. 4. 19.
Coria cutis circumtenſa moriturum ſine ſudore ſignifi-
cant, ſi fuerint ſicca & dura, quibus uero relaxata & mol
lia cum ſudore. 6.13.
A' capite conſideranda eſt oſſium natura & neruorum, ue-
narum, carnium, humorum. 6.24
Chinanchici .7. 1. & 7. 3.
Concidentes & incidentes. 7. 9. & 7. 10.
Caliditas diffundit & educit. 7. 13.
Quæ circa cor, calefacere conuenit à primordio. 7. 18.
Concauſale. 7. 24.
Commata in ſomnis. 7. 30.

DOlor nouus calidus, 1. 7.
Diſtenſiones corporis, 1. 17.
Dolor dolorem curat. 2. 3.
Diaphoretica diſcutientia. 2. 17.
Dyſpnœam Braſſica curauit Hipp. 2. 13.
Diuerſio materiei, 3. 39.
Dormiens intrinſecus calidior. 4. 13.
Dietæ debiles frigidæ, contra calidæ. 4. 17.
Diſſentienti ſalus diſſentire. 5. 11.
Dolorem proximum uentrem purgare. 6.4.
Dentium dolor pipere arcetur. 6, 23.
Diſtant quæ multum in doloribus coſtarum & pectoris,
perdiſcendum. 7. 25.

Dyſenteri

Dyſentericis diuturnis faſtidium malum. 7. 26.

EPilepſiæ infantium. 1. 4.
Erraticum. 1. 13.
Euacuandum quo natura uergit. 2. 3. & 2. 15.
Euacuationum loca aperienda. 2. 19.
Exanthemata. 2. 16.
Expurgatio curſibus, luctationibus. 3. 2.
Elixa minus nutrit quàm aſſa. 3. 2.
Quamdiu ſit exercitandum. 3. 4.
Exputreſcens, irreditans. 3. 7.
Extenuatum omne deponit cutem. 3. 23.
Extenuati iactura diſtenſio nutrimenti, 3. 24.
Elixa aqua. 4. 9.
In Aeno legumina comedentes. 4. 12.
Exercitium exhibeatur ante cibum. 5. 1.

FEbrium diuiſio. 1. 16.
In febribus fluxus ſanguinis narium in quarto die, uel etiam ſudores malum. 2. 11.
Febri ſuperueniens branchos. 3. 6.
Febrientes interficiuntur lucta, curſu & calefactionibus 3. 29.
Febrire malum fame oppugnantes. 3. 30.
Febrientium dubia criſis in articulos. 4. 1.
In febribus quartanis urina pinguis. 4. 2.
Febris ex itinere. 6. 6.
Febrientes Quartana, à magno morbo non capiuntur. 6. 7.
Febris Quartana annuo tempore durat. 6. 20.
Ex facie indicia. 2. 20.
Frigidum uenarum eruptiuum. 3. 9.
Frigiditas condenſat. 7. 13.

Friculenti

Friculenti. 3. 21.
Frictile alterius ſignum. 3. 25.
Ex fame crura incontinentia ſiunt. 4. 12.
Fluxus intrinſecus extrinſecus. 5. 32.
Figura irrepens. 7. 7.
Ante finem tenuitatis circumtenſio. 7. 12.
Furoris ſigna. 7. 19.
Fici arboris folia cornicis pedibus ſimilia ſunt in uere. 7. 23.
Faſtidium dyſentericis malum. 7. 26.

GYlianchones. 1. 14.
Gracilitant, attractio, pulmo ſiccus, cauma ſuperuacuum. 5. 35.
Gingiuæ putredo ſeptenis annis durans. 6. 22.

HEmorrhoides contra Pleuritidem ualent, ſimiliter & contra peripneumonian, phagedenas, lepram & alphos. 3. 36.
Ex Hæmorrhoſagijs inaquatur. 1. 6.
Helleborus cito purgat lauantem. 5. 31.
Humorum colores quatuor. 5. 18.
Hypoſtrophe. 7. 1.
Hydropici incidendi. 7. 15. & 7. 16.

ICterus. 2. 21.
Ichor ſanguinis niger. 2. 23.
Inteſtinum dextrum in Arthritico. 4. 3.
Ira ex acuto furore corde eleuato. 5. 12.
Ignis ab inferiori uentre. 5. 34.
Ex itinere debilitas. 6. 6.
Iſchias. 1. 1. & 1. 7. & rurſus. 1. 13.

LAborum impigrities ſalutiferum. 4.21.
Lachrymæ bonæ malæ. 1.15.
Lumbrici. 1. 13.
Luxatus palo attracto liberatus. 3.11.
Lacus calidus impinguat, calidus extenuat. 4.20.
Linguæ color urinam deſignat. 5. 18.
Linguæ uirides cholericæ. ibidem.
Lingua ſimilis diſtenſioni humorum. 5.20.
Locū mutare cōnutrientē prodeſt in morbis diuturnis. 5. 23
Linguæ putredo ad ſeptimum durans. 6.21.
Lipotomia. 7. 7.
Libido à phlegmate profereutria. 5. 26.
Lectus mutandus. 7. 14.
Labores in trino, quino, ſeptimo. 7. 36.

MAtricis diſſolutio. 1. 1.
Menſtrua retenta cauſa Hydropis. 1. 6.
Melancholicum. 1. 13.
Maturanda ſunt obſtruenda. 2. 17.
Mammæ deprimendæ augendæ. 3. 27.
Meſocolis. 4. 6.
Munde degant ægroti. 4. 7.
Morbi connutriti quando ceſſent. 5.10.
Mammarum papillæ morbiferæ. 5. 21.
Macrum efficientes medicinæ, quære Gracilitāt &c.
Mediocria menſurata omnia. 6. 3.
Mutandum priuſq̄ malignentur. 6. 14.
Mundandum, educendum, nectendum, exurendum. 6. 15.
Melancholicum corpus non laxandum, ſed extrahendum quôd peccat balneo, frictione, & & potu uini. 6.25.

NArium putredo ad ſeptennium extenditur. 6.22.

Natura

Natura morborum medicina. 5.2.& 5.3.
Noui dolores calidi. 1.7.
Quo natura uergit ducendus humor, 2. 3.
Narium ſanguinis fluxus. 3. 17. & 6. 16.
Nares humidiores minus ſanos homines ſignificant. 6. 17.
Nutrimentum modicum illaborioſum, inſiticuloſum. 3. 22.
Nutrimentum paulo deterius, ſed ægroto gratius admittitur. 4. 8.
Nutrimenti irrepletio ſtudium ſalutis. 4. 21.
Nutrimentum poſt exercitium adminiſtrandum. 5. 1.
Nutrimenta debilia uitam modicam habent. 5. 24.
E naribus calidiſſimus fumus letalis. 4. 28.
Nares purgandæ. 5. 5.
Nix uentrem indurat. 5. 30.
Nutrimentum ualidum. 5. 27.
Nutrimento calido infrigidatio intrinſecus. 5. 39.
Nyctilopes. 7. 1. & 7. 2.
Nephretici non uexabantur tuſſi Epidemica. 7. 24.
Nephretici non ſanantur ſi ſint ſupra quinquaginta annos nati 7. 29.

OCulorum motus frequens. 1. 17.
Oſcitationis curatio prolixa inſpiratio. 2. 5.
Ab oculorũ angulis materia eſt diuertenda ad fauces. 2. 18.
Oculorum fortitudo membrorũ fortitudinẽ arguit. 4. 27.
Omnibus non eadem conueniunt. 5. 7.
Ophthalmiæ ſiccæ. 7. 6.
Oſphry. 7. 28.

PAlati os diſcedens. 1. 3.
Pani boni mali. 1. 12.
Paraplígici. 7. 1.

Phyma. 1. 12. & 7. 28.
Puerorum tuſſes. 1. 14.
Phrenetici ſunt & dicuntur non bibentes. 2. 5.
Phlebotome diuerſiua 2. 6.
Puſtulæ. 2. 16.
Putrefactio mouebit uentres. 2. 25.
Pueris adunatio urinæ quia calidiores. 3. 10.
Pinguificatio. 3. 18.
In Pleuritide ſpuere ſanguinem. 3. 40.
Pleuritis ceſſat alienatione oborta. 6. 11.
Purgatis his quæ oportet purgari confert & leuiter ſe- runt. 4. 11.
In Plagis, ſanguis confluens. 5. 15.
Proferentia. 5. 26.
Puer purgandus matre comedente laxatiuū. 5. 38.
Plinthion. 6. 18
Perinthus. 7. 24.
Peripneumoniaci. 7. 1. & 7. 3.
Poſſidonia. 7. 9. & 7. 11.
Phthiſici inciſi dente aureo ad emittendū pus. 7. 15.
Phthiſicis ſpirationes abſconditæ malæ 7. 23.
Phthiſicis autumnus & uer malum. 7. 24.
Pleuritis & pectoris morbi. 7. 25.
Partus in lucem quando edatur. 7. 31. 32. 33.

REnum dolor ponderoſus. 1. 5.
Rigores prope ſtatum leuant. 1. 8.
In rigoribus non fit abſceſſus. 1. 10.
Reſpirationum genera. 2. 4.
Rhyas. 2. 18.
Rigores mulieribus à lumbis occipiunt. 3. 15.
Raucescens minus fundit ſanguinem. 3. 19.

Recidi

Recidiua. 3.34.
Recidiuam oſtendit ſputum rotundum. 3. 35.
Reuelationes. 3. 37. & 3. 38.
Rigor à uentre ſuperiori. 5. 34.

SAnguis ichor niger. 2. 23.
Splenetici habent pedes calidos, manus, aures, nares frigidas. 2. 24. & 2. 26.
Sanguineum magis quid. 2.32.
Septimus. 2. 23.
Ex ſplene magno Cauſus. 3. 5.
Splen ex itinere. 6. 6.
Semen & urinã non cõtinuit ictus in montano labore. 3. 13.
Spumans ſanguis minus fundit. 3. 19.
Spiritus tuſſis introitus & exitus, ſingultus, oſcitatio conſideranda. 5. 6.
Stupor ex auribus. 6. 11.
Semen humidius in ſalubrioribus hominibus. 6. 17.
Sputa repercuſſoria rotunda. 6. 18.
Sanguis minus fundit rauceſcens. 3. 19.
In ſomno ſanguis intra repit. 5. 33.
Somnus in uelato malus. 4. 15.
Somnum erecto noueris eſſe ſoporiferum. 4. 16.
Sitim ſedat ſilentium. 3. 32.
Sputum rotundum recidiuam ſignat. 3. 35.
Siccato nimium fiſtulatas apoſtaſes. 3. 37.
Sitis ipſius medicamentum eſt ſomnus. 4. 22.
Senſuum quinq; excrementa. 5. 51.
Superauctiles morbi. 5. 29.
Cum Sudore finis. 6. 13.
Sanguineum corpus non eſt laxandum, ſed extrahendum quod peccat balneo, frictionibus, & potu uini. 6. 25.

Synanche ad tropos hyemales. 7. 1.
Stratum mutandum. 7.14.

Tibiarum imbecillitas ante uel poſt morbum. 1. 11.
Tuſſis puerorum. 1. 14.
Terminatio ad alia membra. 2. 6. & 2. 14.
Tuſſis ſicca in articulos abſcedens. 2. 8.
Tuſſes & tropos hiemales. 2. 1.
Tuſſis ſicca in febri ardente ſitim pellit. 2. 12. & 7. 21.
Teſticulus dexter maſculũ, ſiniſter generat fœminã. 4.26.
Ad tropos hyemales ægros non potuit ſanare Dios Hippocrates, ſed moriebantur. 7. 4.
Ventris perturbationis tolerantia bona ſignificat ſecundũ naturam eſſe. 7. 11.
Ventri calido cibi ualido perturbatiui. 5. 27.
Tuſſes maxime articulos attingunt. 7, 20.
Tuſſis hyemalis maxima. 7. 24.

Venæ clauis. 3. 27.
Ventris perturbatio cum ſufferentia bona ſignificat ſecundum naturam eſſe. 7. 11.
Ventres calidi frigidas carnes, & ſubtiles iſti ſunt ſuperuenenoſi & acuti furoris. 4. 25.
Vrina uel uenter retentus ante rigorem. 1. 9.
Vrina ſicut ſemen in Perintho. 2. 22.
Vrinæ coadunatio pueris magis. 3. 10.
Vrina pinguis in Quartanis febribus. 4. 2.
Vrina ſimilis colori corporis 5. 19.
Vrina multæ hypoſtaſis recidiuam ſignificat. 6. 19.
Vrinæ & uentoſitatis pruritus. 5. 8.
Vlcera circumdefluentia. 7. 27.
Vlcera profunda rotunda. 1. 14. & 1. 12.

Vlcera

Vlcera exacuunť ſi impurgat᷒ exerceat ſe uel laboret. 5. 37.
Venarum rubor, liuor, uiriditas. 3. 31.
Vigilans extra calidior, intrinſecus frigidior. 4. 13.
Vox magna ex calore magno. 4. 23.

FINIS.

ERRATA.

¶ In Epigrammate Græco νικάων lege νικώων. Folio 5. linea 9. alphabe ticí, alphabeticũ. Fol. 7 lin. 3. iudicarent, indicarẽt. Fol. 8. lin. penult. ille, illa. Fol. 10. lin. 2. meditatus, meditata. Fol. 16. lin. 12. circuitũ, cir cuituũ. fol. eodẽ lin. 14. iudicia, indicia. Fol. 32. linea. 13. moris. mors. Fol. 36. lin. 5. alterioribus, altioribus. Fol. 40. lin. 30. hoc, hanc. Fol. 45. lin. 26. ſecundo, ſecunda. Fol. 48. lin. 17. Adiectione, A deiectioue. Fol. 46. lin. 27. Interrupt᷒, adde ſpiritus. Fol. 84. lin. ulti. illi addẽdũ, licebit. Fol. 86. lin. 21. Cerebri anhelitus, crebri anhelitus. Fol. 90. lin. 18. præ cordiã pcordia. Fol. 98. lin. 5. nunq̃, nõnunq̃. Fol. 100 lin. 7. ſedabũt, ſecabũt. ibidẽ lin. 20. corui, coria. Fol. 106. lin. 21. eũ, em̃. Fol. 115. lin. 1. huic hinc. Fol. 116. diſtentia, diſtẽta. ibidẽ lin. 13. ſimpliciter ſequitur, nõ ſequitur. Fol. 123. lin. 13. inectũ, iniectũ. Fol. 128. lin. penult. Verũ, Vernũ. Fol. 142. lin. 9. decocta, decoctã. Fol. 147. lin. 3. poſtrema, p po ſtrema. fol. eodẽ, linea penul. Theophilo medico, Theophilus medic᷒. Fol. 148. lin. 15. noctui, nocti. Fol. 152. lin. 19. cognatus, cõnatus. Fol. 153. lin. 9. albor labor. Fol. 155. lin. 5. morituros, adde ſignificãt. fol. eodem, lin. 16. præſentiſſimum, præſentiſſima. Fol. 168. lin. 24 uo munt, uomuit.

IOANNES AGRICOLA
AMMONIVS MEDICVS, GEORGIO
Leonbergero ſuo S. D.

VIDI humaniſſime Georgi, quæ per hoc biduum à te ſunt tornata carmina, quibus ſatis fœliciter deſcribis atq; ſuis laudibus Circknizam regionem celebras. Quæ quoniam ditioni reuerendiſſimi Epiſcopi Friſingēſis ſubdita eſt, ſuppetitq; annuos reditus Cathedrali eiuſdem eccleſiæ: commodum mihi uiſum eſt, ut hos Heroicos uerſus unà cum alijs opuſculis, quæ huic illuſtriſſimo Principi eram nuncupaturus, typis Chalcographi procudendos curares. Si em̃ perpetuis laudibus digni ſunt, & memorijs hominum non immerito celebrabunt, Americus ille Veſpuci⁹ qui Americam terram ſuo nomine uocatam: Eraſmus Stella, qui Boruſtenorum uel Brutenorum agros & tractus: Demetrius Eraſmus & Paulus Iouius, qui ritus Moſchorũ, aut Moſchouitarum: ueteres Hamaxiobitas appellare uidentur: Marcus Paulus, qui Scitharum mores: Matthæus Michauius, qui eandem Sarmatiam: Aloyſius de Cadamoſto, qui nauigationibus laborioſiſſimis nouam Indiam uidelicet occidentalem: diligenter rimati ſunt, & memoriæ perpetuæ conſecrauerunt. Nihilo inferius fuerit encomium tuum, qui Circknizam, alij Kirnitzam uocant, iam olim quidem noſtris hominibus percognitam, à terræ tamen deſcriptoribus Coſmographis & Chorographis aut parum, aut omnino non pro meritis deliniatam: conatus ſis, quantum iuueniles tuæ uireculæ permiſere: & quoniam prela feſtinabant, ex tempore deſcribere. Dabis proculdubio aliquando maiora, cũ per ætatem robur ingenij ſolidũ fueris adeptus. Neq; enim tam male affectum eſſe te erga humanitatis ſtu-

dia, ex quo latiſſima illa Imperialium legum es ingreſſus pomeria, deprehendimus, ut in uniuerſum renunciaueris amœnioribus Muſis. Sed interim quandocunq; à ſeuerioribus illis diſciplinis reſpirare conceditur, neq; Ciceronianam neq; Maronianam eloquentiam: quod cum multis facundis Iureconſultis habes commune: reſpuere ſolitus es, Vale & perge ſicut cœpiſti. Ingolſtadij, ad Idus Auguſti, Anno à nato Chriſto Ieſu

M. D. XXXVII.

AMOENISSIMAE IUXTA AC QUE FERTILISSIMAE IN CONVALLIBUS SITAE REGIUNculæ Circknizæ deſcriptio, authore ingenuo & ſtudioſo adoleſcente Georgio Leonbergero Ratisbonenſi.

VT uideas animo non uiſam lumine terram,
Vt doceas alios lauderis pectore docto.
Circknitiũ undoſam regionẽ carmine pandã,
Nomine quod Carni populi dixere priores,
Hoc liceat totũ mihi carmine ferre per orbẽ,
Coſmographo ignotum ueterum monumenta uirorum
Voluenti priſcis intactum nomine ſæclis.
Nobile nunc fama multis memoratur in oris
Diues opum, belliſq; potens, uberrima gleba.
Hos licet ad fines ingentes cernere terras,
Carneolam, Sclauos, Styros, & Dalmata regna.
Styria Circknitij diſiungens ruribus arua,
Finit qua uallis rapidum decliuis ad Auſtrum;
Suſcipit intrantes Alpes Aquilonis ad axes.
Pannoniam cernit deflexum ſolis ad ortus.
Illud partitur geminas conuallis in oras,
Quas tamen extremus connectit terminus unus,
Hinc atq; inde ſinus riguis longiſſimus agris;
Hinc uaſtas rupes cernis, rigidiq; minantur
In nubes ſcopuli, quorum ſub uertice latè
Pinguia rura, ſacros fontes, & flumina nota
Accola miratur dulcis ditiſſimus agri,
Miratur populos armis opibuſq; ſuperbos,

Tractus Circknizæ in longũ tria miliaria Germanica habet, ĩ latũ ſeſquimiliare.

Religione patrum longis celebrantur ab annis.
Qui uera durant in religione nepotes,
Circkniza R. Epiſcopo Phruxinenſi tributaria.
Dum Friſingenſis Dux nobilitate Philippus
Inclytus, & Princeps quo non eſt iuſtior alter,
Nec pietate fuit Præſul, nec maior in orbe
Aeternis reget imperijs, laxabit habenas,
Et premet & terras omni ditione tenebit,
Iura dabit legesq́; uiris & præmia iuſtis.
O princeps fœlix, cui fœlix ſuppetit aruum,
Largius unde lucrum noſtris ſedesq́; beatæ,
Pecorum atq; aruorũ Circknizæ fertilitas.
Quàm diues pecoris ? mille agnæ in mõtibus errãt,
Vndiq; læta boum campis armenta uidentur,
Caprigenumq́; genus raro cuſtode per herbas
Errat, quod tondens & campũ & gramina ruris
Lanigeras paſcit pecudes, quarum ubera preſſant.
Miratur paſtor diſtentas ubera uaccas.
Incola cum ſua regna uidens miratur ariſtas,
Miratur meſſes, autumni mitia poma,
Caſtaneasq́; nuces, & preſſi flumina lactis,
Naiades & pomis, Hyblæo & melle refertum
Autumnum, & menſas cerealia pira ſecundas
Conceſſere uiris, hic diues copia cornu
Omnia liberius fert, dum non uomere terram
Agricolæ exercent, tauro iuga ſoluit arator.
Nec ſolet attritus ſulco ſplendeſcere uomer,
Nec timuit pinguis ſuſpenſum taurus aratrum.
Nulla deeſt tamen huic inaratæ gratia terræ,
Accola ſed raſtris glebas contundit inertes.
Circknizæ rigãs arua per mediũ influens riuulus
Atq; ſatis fluuium immittit riuosq́; ſequentes,
Vt cum exuſtus ager ſqualentibus æſtuat herbis,
Ignea tum largo cum aſpergine temperet arua,
Plurimus immenſos per montes labitur amnis,

Rore

Rore rigat campos; finitur gurgite laſſo.
Ductile flumen aquæ colles humectat amœnos,
Illic ſeclusus lacus, atq; in ualle reducta
Eſt alius fluuius placidos qui tendit in hortos,
Hunc circum innumeræ gentes populiq; reſidunt.
Huc etiam potum ueniunt per rura iuuenci,
Quâ graciles tenui prætexit arundine fontes
Incola, quâ ſtrepit & fugiens per gramina riuus,
Proſpicit hunc alius quâ Lympha riuus amœna
Inde fluit ſcopulis muſcoſis agmine torrens.
Exonerat tandem ſe multa flauus arena,
Paulatim inde Ceres pingui flaueſcit ariſta,
Iactantur meſſes & frugibus horrea complent.
Nunc tempeſtates autumni carmine dicam,
Diluuium uallis decliuis, & annua ſtagna
Circknitij, ignoto refluos in littore fluctus,
Mirandumq; lacum ſurgentem uallibus imis,
Naiades ô Nymphæ, præſentia numina uatum
Dicite, (ſcitis enim cauſam, undarumq; meatus.)
Ducite per latebras ſinuoſas, atq; canales
Irriguos, monſtrate uiam, monſtrate receſſus,
Acceſſusq; maris, tum iteratos littore fluctus,
Aureus ut luſtrat rutilanti lumine Phœbus
Virgineum ſydus Libræ contendit ad aſtrum
Vt breuius lumen, longis mora noctibus obſtat.
Pomifer effundit fructus prædiuite cornu.
Vndiq; ſtrata iacent mellita ſub arbore mala.
Quæ uigilanda uiris? quanta inclementia terræ?
Menſibus Autumni ſpumoſus ut amnis abundans
Exijt, oppoſitasq; euicit turbine moles,
Obductisq; tenet conuallem ruraq; nimbis.
Humore effuſo bibulam iam nutrit arenam.

Mirabiliter tota Circknizа tēpore hyberno natat in aquis.

Limoſæ liquidis ſudant humoribus uluæ,
Atq; cauas celeris depaſcens unda lacunas,
Sternit agros, culmosq́; leues ſtipulasq́; uolantes
Eruit extructasq́; caſas radicibus imis.
Implentur foſſæ, ſulci & caua flumina creſcunt.
Excedunt ripas, aruis labuntur apricis,
Aggeribus fractis feriunt ad limina montis.
Expaciata ruunt per apertos murmure ſulcos,
Ac ueluti (paruis componere magna ſolemus)
Sæcula Deucalion uidit cum coniuge Pyrrha,
Quo mare quo tellus nullum diſcrimen habebant.
Sic ubi ſtagna tenent campos, & iugera uallis,
Lumina quo uertas mons æther & undiq; pontus.
Occupat hic cliuum, ratibus ſedet alter aduncis.
Nauigat hic remis, ubi raſtris nuper ararat.
Sub iuga montis aper frendens cōtendit ab undis,
Quærit Ceruus aquis terras ubi ſiſtere poſſit.
Diluuium agricolas ſubmotos arcet arena.
Ad montes fugiunt, tanq; ſua numina poſcunt.
Inſtant ardentes animis opibusq́; parati.
Cum ſtabulis armenta trahunt, pars ducere fruges,
Pars onera accipiunt, uoluunt quà ſemita monſtrat,
Obnixe trudunt humeris pars farris aceruos.
Caſtigantq́; moras, pars iungunt agmina lata.
Hortantur ſocios laſſos pars pondere preſſō.
Barbarus exoritur certamine clamor anhelo.
Iamq́; aſcendebant montes qui pluribus undis
Inſiſtunt, ſpectant munitas deſuper arces.
Mirantur molem maris, ingens pondus aquarum.
Mirantur ſub aquis ſepes retinacula piſcis.
Et modo quà agricolæ tondebant gramina falce,
Nereides Nymphæ ponunt ſua corpora diuæ.

Interea

Interea uictu æſtiuo ſub monte fruuntur,
Mutuaq́; inter ſe celebrant conuiuia læti.
Allicit & genialis hyems ſoluitq́; dolores.
Dum nix alta iacet, glaciem dum flumina rictant,
Soluũt corde metum, iam epulis implentur opimis.
Poſtq́; exempta fames dapibus pinguiq́; ferina,
Mirantur fructus corraſos ſole calente.
Deſidiam damnant, cerealia munera laudant.
Qualis apes ſub Sole labor per roſcida rura
Floribus exercet, dum herbis ſurgentibus hærent.
De roris lachrymis uiuunt, & nectare dulci,
Diſtendunt cellas, & mella tenacia ſtipant.
Feruet opus uarium, fingunt dũ Dædala tecta,
Tantus amor campi & generandi mellis honores.
Vt tamen arua rigent brumali frigore mota,
Hortantur paſti tandem decedere campis,
Tecta petunt ſonitu partis & corpora curant.
Omnibus una quies uenit, finisq́; laborum.
Obſidione uides ſeu fluctus cingere montes,
Sic quoq; magna ui Mauortia mœnia condunt.
Turriti ſcopuli caſum ſub ualle minantur.
Si illuc munitas ſpectares deſuper arces,
Suſpiceres portas turres & ſtrata uiarum.
Suſpiceres ualidos armato milite muros.
Agricolas dubia Thurcæ formidine ſoluunt.
Sic degũt ſcopulis hyemis dum menſibus arcet.
Diluuium longis terras cœlumq́; fatigat.
Pars capiunt mutos ſinuoſa in thetia piſces.
Pars quoq; uela legũt, pars trudunt littore puppes.
Pars ſectantur apros, celeris pars agmina cerui.
Sed quam das metam tandem rex magne laborũ?
Eſt ne eadem fortuna uiris tot caſibus actis?

Hyemem agunt in montibus.

Cõparatio ab apibus deſumpta.

Hic labor extremus, longarum hæc meta uiarum,
Vſq; ſub ingenti ſpeculatur ſydere Taurum.
Ignis Phœbeus tunc æthera purgat apertum.
Quinq; per incertos menſes ſtagnare paludes
Aſpiciunt lentas, ſexto ſecedere terris.
Viſi aperire procul colles, telluris arenam
Voluere, ſurgit humus nunc decreſcentibus undis,
Abluit irriguo tandem ſe flumine campus.
Fugit per latebras occultos unda receſſus.
Accola quas neſcit, Tethis loca cognita Nymphis
Clauduntur liquidi riui, ſat prata biberunt.
Iam mutata ſuas requierunt flumina ripas,
Vndiq; deſtituunt nudos in littore piſces.
Iam iam finis erat, iam præſtant flumina pacem,
Et placidos repetunt lapſus & tota reſidunt.
Pinguia iam lenis crepitans uocat Auſter in arua,
Iam celerare fugam, ſcopulis deſcendere ſuadet.
Sic demum ingreſſi ſicca potiuntur arena.
Explorare locos ardent, & rura ſalutant.
Multa per ignotos errant animalia campos.
Atq; nouam gaudent conuallem ſumere formam.
Vndiq; uiſendi ſtudio generoſa iuuentus
Circumfuſa ruit, contendit ludere campo.
Defeſſiq; ſenes pariter de culmine tendunt,
Agricolæ ſocios conſumpto frigore uiſunt.
Atq; hic ingentem comitum affluxiſſe cohortem
Collectam in niuibus pubem matresq; uirosq;
Mirantur, iuuat æſtiuum renouare laborem.
Quærimus interea, ſolito dum flumina currunt
Limite, dum uerni ſuadet clementia Solis:
Cur fontes natura aliquos æſtate negarit,
Frigore uenturo uacuas emittat in auras,

Stagnaq;

Stagnaq́ꝫ proſiliant unde, quo uere reſidant?
Et uos qua tandem ueniſtis ſede relicta
Naiades antiqua, peregrinis quæro ſub oris?
Dicite & occultas naturæ reddite cauſas,
Et quodcunq́ꝫ latet, moles quæ tanta cauernas
Occupat undarum? ruit & quo fonte lacuna?
Plurima cum noſtris ſubeant audita ſub aruis.
Pauca ſuper referam parce quæ cognita nobis,
Adria ſeu mare deuexi per uiſcera montis
Offenſo per ſaxa fluit rimoſa meatu,
Sic ſcrutatur iter, libertatemq́ꝫ requirit.
(Nanq́ꝫ gelu accreſcit, ueniente calore recurrit)
Seu uapor è terris generat, ſeu nubilus aër
Vim glomerat madido ſtagnantis rore paludis.
Siue Dei excelſi tanta eſt diuina poteſtas,
Quo duce naturæ latet abdita tanta facultas,
Multa nec ingenijs peruestigata priorum.
Quis ualet Alphei curſum explorare ſub antris:
Ni iam Arethuſa tui ueteres referantur amores?
Quis Pharij fontes arcanos noſcere Nili?
Quis uelit Euripicos alternos littore fluctus
Euboicos, uariosq́ꝫ inueſtigare receſſus?
Seu uaga per paucos rerum natura reſurgit,
Seu negat humanis oculis & uiſibus iſta,
Seu loca dumoſis prohibent incognita ſpinis.
Si potes atq́ꝫ audes melius quicunq́ꝫ referre
Indigenis, Sophiæ ueteris non inſcius artis,
Naturæ interpres, perſcrutatorq́ꝫ locorum.
Talia uenturis miranda recentia ſæclis,
Quæq́ꝫ diu latuere canas mea Muſa precatur.
In medium diſcenda feras gratiſſima nobis,
Et rerum cauſas animo reſerare capaci

Cauſa fluxus & refluxus aquarũ Circknizæ.

Contendas

Contendas, quæ ſit rerum natura requiras,
Kirnizæ melius deſcribas omnia uallis,
Quo ſita ſit, pinguem teneat quo climate terram,
Quo locus immenſi iaceat ſub ſydere cœli.
Et uarios hominum mores, & noueris urbes.
Vt te Phœbus amet magis, ut te numina fontis
Pierij mirentur, iter curſumq; ſecundent.
Ex alijs diſcas, nobis narrantibus illa,
Sudatum ſatis eſt, pro quo ſit gratia CHRISTO.
Nos minus alta damus, placido ſit littore circum
Labimur, & uento laxamus uela minori.

FINIS DESCRIPTIONIS CIRCKNIZAE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GLORIA CHRISTO.